FLORÆ AUSTRIACÆ

VOLUMEN SECUNDUM,

CONTINENS

ICONUM

CENTURIAM ALTERAM.

FOLIO
QK318
.S23
1774
v.2

FLORÆ AUSTRIACÆ,

SIVE

PLANTARUM SELECTARUM

IN

AUSTRIÆ ARCHIDUCATU

SPONTE CRESCENTIUM,

ICONES,

AD VIVUM COLORATÆ, ET DESCRIPTIONIBUS,

AC

SYNONYMIS ILLUSTRATÆ.

VOL. II.

OPERA AC SUMPTIBUS

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

TYPIS LEOPOLDI JOANNIS KALIWODA,

AULÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHI.

1774

MDCCLXXIV.

Mo. Bot. Garden,
1895.

In tabula tituli conspicitur arx Stixenstein sive Sebastenstein cum opposito monte Gieding, pertinens ad illustr. Comitem de Hoyos; ille Botanicis celebratus ob incipientem hic adscensum ad alpes; uterque mons ob rarissimas, quas alit, plantas.

TABULA CENTESIMA PRIMA.

ALTHÆA CANNABINA. *Lin. syst. pag.* 459. *Scop. carn.* 2. *pag.* 42. *Crantz. fasc. pag.* 144.
Alcea cannabina. *Bauh. pin.* 316.
Alcea fruticosa cannabino folio. *Clus. hist.* XXV.
Alcea fruticosior pentaphylla, *folio cannabis sylvestris*, Dioscoridis. *Lob. ic.* 656.

Radix perennis constat ramis longis, teretibus, extus pallide fuscescentibus, intus carnoso-fibrosis & albis, pollicem crassis, saporis glutinosissimi. Caules plures, annui, erecti, teretes, scabriusculi, medulla in centro farcti, quatuor vel quinque pedes, in culta etiam decem alti, ramosi. Folia sunt inæqualiter serrata, utrinque pilorum hirsuta, sordide virentia, petiolata, sæpe incisa; caulina infima palmata & semiquinquefida; subsequa digitata; superiora ternata; & summa simplicia. Flores pedunculati calycem habent brevem, villosum & acutum; exteriorem profunde divisum in lacinias lanceolatas sex, septem vel octo; interiorem paucillo longiorem & semiquinquefidum cum laciniis ovatis. Corolla ex rubro purpurascit. Antheræ sunt atropurpureæ. Arilli rugosi. Crescit in fruticosis. Floret a Julio ad Septembrim. Folium caulinum inferius & arillus sistuntur in tabula separatim.

TABULA CENTESIMA SECUNDA.

HESPERIS TRISTIS. *Lin. syst. pag.* 442. *Crantz. fasc.* 31.
Hesperis prima. *Clus. hist.* 296.
Hesperis pannonica. *Camer. hort. pag.* 74. *tab.* 18.
Hesperis calore ineleganti. *Bauh. hist.* 2. *pag.* 879.
Hesperis montana pallida odoratissima. *Bauh. pin.* 202.

Ex radice albicante, longa, digitum sæpe crassa, & ramosa, primo anno folia radicalia, altero caulis exsurgit erectus, subangulatus, pilis albis mollibusque vestitus, pedalis vel altior, superne in ramos simplices patentes tandem divisus. Folia radicalia infimaque sunt breviter petiolata, reliqua sessilia, omnia late lanceolata, acuta, denticulata, utrinque villosa & sordide virentia, ad oras pilis brevissimis, vix conspicuis, albidis & ad lentem furcatis dense ciliata, cujusmodi etiam immixtei villis in utraque folii pagina conspiciuntur. Flores caulem & ramos racemose occupant, pedunculis propriis fulfulti subuncialibus. Calyx est villosus. Petala contorta ex flavo virent, (idque non eodem in omnibus individuis modo,) & anastomizantibus atropurpureisque venis elegantissime persecantur. Floribus interdiu vix odor est ullus, quem ad solis occasum spargere incipiunt omnino suavissimum, conservantque etiam tempore nocturno, sensim iterum deficientem, & tandem ex integro cessaturum ad proximum solis exortum. Antheris color sulphureus est. Stigma est germinis obtusissimi apex simpliciter bipartitus patulusque. Siliqua subensiformis, acuminata, longa, striata, glabra, sæpius oblique incurva, patens, in lateribus compressis etiam angulo medio parum extante notata, bilocularis, polysperma, & bivalvis. Dissepimentum ultra valvulas canaliculatas in utroque latere per totam longitudinem procedit, atque hic substantiæ est ipsarum valvularum. In medio autem est membrana medullosa pellucida & albicans, in qua utrinque semina oblonga glabra & ferruginea ita locantur, vel potius nidulantur, ut in quolibet dissepimenti latere subalternatim conspiciantur alia nuda, & alia per dissepimenti membranam tecta, soleo autem longitudinali, quo inscribuntur, spectent valvulam propriam. Floret Majo. Semina sunt matura Julio. Crescit ad margines sylvarum, in scrobibus fruticosis, ad agros. Illata ramosior & major, fruticescens diametri sesquipedalis quandoque, Erysimi repandi fructescentis adinstar ob numerum & longitudinem siliquarum paniculam diffusissimam exhibet.

TABULA CENTESIMA TERTIA.

ORNITHOGALUM PYRENAICUM. *Linn. syst. pag.* 241. *Scop. carn.* 1. *pag.* 244. *Gouan. ill. pag.* 26.

Ornithogalum majus primum. *Clus. hist.* 187.

Ornithogalum angustifolium majus, floribus ex albo virescentibus. *Bauh. pin.* 70.

Phalangium longissime spicatum, filamentis latis, lanceolatis. *Hall. hist. helv. num.* 1210.

Bulbus albus, squamosus, compactus, ex subrotundo attenuatus, folia emittit canaliculata, linearia, acuta, ex glauco virentia striata, plus minus pedalia, ad terram reflexa, mollia, citoque marcescentia & deperdita. Ex horum centro attollitur scapus, simplicissimus, teres, aphyllus, nitidus, viridis, calamum crassus, & duos vel etiam quatuor pedes altus, extremitate racemosus. Pedunculi pollicares patent cum floribus expansis; fructigeri autem adprimantur, scapoque evadunt paralleli; sulfulti bracteis ex lanceolato acuminatis membranaceis & albidis. Flores sunt subodorati. Petala in sylvestri planta pallent, nec vere albent, notata in medio linea longitudinali subvirente, idque in postica parte manifestius, oblonga, obtusa, tota patentissima, alterne angustiora sublinearia. Filamenta alba, æqualia, erecta, petalis breviora, omnia ex lata & compressa dimidia parte terminantur in apicem subulatum; nulla, nec ad lentem, dentata. Antheræ incumbentes flavent. Germen pallide viret. Capsula ex ovato oblonga, obtusissima, triquetra, continet in quolibet loculamento semina quatuor vel quinque, angulata, scabra & atra. Crescit rarius in pratis. Floret Junio & Julio. Augusto dat semina. Copiosissime hanc plantam eodem mense Martio florere incipientem vidi in collibus herbidis regni Galæciæ in Hispania. Hallero flores dicuntur ex viridibus flavi, Gouano subpha-

cei,

rei, Rudbeckia lutei. Filamenta alterna [illegible] lentem breviter bifida offerunt Linnæus & Scopoli. [illegible] itaque sic variare planta debet. Bulbus cum [illegible] est ex planta nedum florente, cum hæc in florescentia jam exarida sit. Scapi pars magna desideratur. Ad marginem adstat flos petalumque a dorso conspectum plantæ cultæ, in qua petala latiora magis lactescunt cum linea medio saturatius virente; tunc quoque germen flavet.

TABULA CENTESIMA QUARTA.

AGARICUS OSTREATUS.

Fungus hic crescit ad putrescentes putatarum arborum, imprimis juglandis, truncos mensibus Novembri & Decembri, edulis, odoratus, fere insipidus, nec lactescens. Substantia interior nivea, subfibrosa, crassa, nec succulenta, ex basi communi firmiore oritur, quæ constare videtur ex plurimorum fungorum singularium stipitibus in unam massam homogeneam inque fibras facile separabilem concretis. Hinc in veros stipites separatur magis minusve, aut etiam sine his ilico per totum ambitum expanditur in pileos numerosos, ostrearum valvis similes, horizontaliter porrectos omnes, convexos, integerrimos, magnitudine varios, sibi mutuo imbricatim incumbentes, glabros, in verticis postica parte niveos, exterum superne leucophæos, & senescendo in fuscum colorem vergentes, inferne autem concavos lamellisque albis æqualibus subintegerrimis tenuibus fragilibus a duabus ad sex lineas latis parumque decurrentibus obsitos. Tabula exhibet fungum cum aurice, cum dorso, quo arbori accrevit, spectatum. Dein pileum separatum unum, ejusque dissecti portionem.

TABULA CENTESIMA QUINTA.

ISOPYRUM THALICTROIDES. *Linn. syst. pag.* 380. *mant.* 408. *Scop. carn.* 1. *pag.* 402. *Crantz. stirp. pag.* 125.

Ranunculus præcox alter, Thalictri folio. *Clus. hist. pag.* 233.

Ranunculus nemorosus, thalictri folio. *Bauh. pin.* 178. *Moris. hist.* 2. *pag.* 437. *t.* 4. *t.* 28. *f.* 12.

Thalictrum batrachioides, minus; flore albo, italicum. *Bocc. mus.* 84. *t.* 79. *f.* 2.

Excepta caulis & folii radicalis inferiore parte villosiuscula, reliquæ partes sunt glaberrimæ. Radix, quæ sæpore subamaricante ingrato tandemque exsiccante prædita est, constat fasciculo fibrillarum teretium & sordide albentium, ex quo postea elongatur parumper fibrilla alia, horizontaliter pergens, quæ in decursu fasciculos radicularum fasciculos deorsum teretes immittit, exhinc iterum caulifera, atque sic perennando [illegible] propagans. Hi fasciculi modo sunt interrupti ad distantias, modo ex alterutra fibrillarum unam seriem contiguam formant. Caulis plerumque unicus, raro plures, semipedalis vel paulo altior, simplex aut minus frequenter ramosus, inferne aphyllus, superne folio uno alterove instructus, atque sine subramose terminatus in pedunculos paucos patulos tenues, & ipsos minus divisis fulcitos. Unicum etiam alterumve rarius folium simul exit cum caule radicale, caule brevius, petiolo innixum tenui longo erectoque, bis trifidum: foliolis dentis, versus extremitatem latescentibus, apice bilobis vel trilobis, reticulato-venosis. Folium caulinum fere simile est, [illegible] petiolo communi destituitur. Summa sunt terna aut lobata. Foliis omnibus utrinque adstat stipula pallens ovata vel magis subrotunda. Petala primo nivea sunt; postea sæpe rubescere aut purpurascere solent; numero quina, etiam sena, obtusaque. Filamenta alba, petalis paulo breviora, apice parum incrassata,

& triginta vel plura, antheras gerunt luteas & erectas. Germina subovata, acuminata in stylum, compressa, omnino duo tria vel unicum, rarissime quatuor, nunquam a me observata plura, abeunt in totidem capsulas uniloculares, glabras, compressiusculas, late oblongas, stylo acuminatas ex sutura interiore, superiore autem bivalves, tuncque patentissimas & carinato-concavas. Semina fere tria, subrotunda, nitida, pallide lutea, longeque acuminata. Nectarii foliola receptaculo ante petala inseruntur, non tamen haud semper ordinata, staminibus duplo triplove breviora, erecta, ovata, alba, concava, ex basi pedicellata in cucullum ampliata, caeterum integerrima. Crescit ad margines umbrosos ubique silvarum; tum alibi etiam in locis; florens Aprili & initio Maji, sub cujus finem semina perficit. Adstant ad marginem pedunculus gerens binas capsulas apertas, capsula admodum clausa, semen; eademque auctum nectarii foliolum.

TABULA CENTESIMA SEXTA.

HELLEBORUS VIRIDIS. *Linn. syst. pag.* 381. *mant.* 408. *Scop. carn.* 1. *pag.* 403. *Crantz. fasc. pag.* 134.
Helleborus foliis multipartitis, serratis; caule pauciflore. *Hall. hist. helv. num.* 1192.
Helleborus niger, flore viridi. *Bauh. pin.* 185.
Elleborum nigrum alterum. *Camer. epit. pag.* 940.
Helleboraftrum. *Lob. ic.* 680.
Veratrum nigrum alterum Dodonaei. *Clus. hist. pag.* 275.

Fasciculus multarum fibrarum teretium, longarum, intus albicantium, foris pallide fuscescentium, etiam ad nigredinem vergentium radix, quibus sapor amarus ingratus & subacris est, in unum alterumve caput quotannis attollitur. Ex hoc anno folia cum caule florigero exoritur, plerumque solitarius, erectus, subteres, dodrantem vel integrum pedem altus, aphyllus, obscura purpura variegatus, aut simplicissimus & uniflorus, aut superne subramosus duos tresve flores subnutantes sustinens. Pedunculi sunt saepe valde inaequales. Ad ortum ramorum & pedunculorum folia locantur ex latiore basi in tres lobos profunde divisa lanceolatos, argute tenuiterque serratos, & acutos, similia ad pedunculos quandoque opposita. Petala quinque & magis minusve late ovata virentia, ac persistunt, in fructu maturo tandem fuscescentia. Nectarii tubulosa foliola, calyce virentia, circiter dena, staminibus fere triplo breviora, ex basi pedicellata in cornu incurvum compressumque ampliantur, ore aperto & obsolete bilabiato, succo melleo dulcissimo plena, decidua. Filamentis quinquaginta aut pluribus insident antherae sulphureae. Germina in sylvestribus individuis valde numerosis examinatis inveni frequentius quina, haud raro terna, in reliquis pauciora, semel quoque septena & octona, nunquam plura. Flos aliquam foetiditatem pollet. Folia caulina quam longa sunt duplo majora quam depicta. Folia radicalia, florente jam planta, plerumque demum emergunt, raro praecocius, petiolis fere longitudine ipsius caulis, glabra, inaequaliter digitata; foliolis numero variis, argute serrulatis, acutis, ex lanceolato oblongis, firmis, & basin interdum confluentibus. Floret Aprili & Majo. Fructus maturescit Julio. Crescit in montosis. Exhibet etiam tabula folium plantae adultum, calycem fructescentem, semen, & nectarii foliolum.

TABULA CENTESIMA SEPTIMA.

PYRUS NIVALIS.

Mediocris statura arbor, habitu affinium, sed imprimis conspicitur crassitie extremorum ramulorum, qui annulis subcircularibus valde inaequales teretesque cortice circum-

conduntur nigricante. Ad horum extremitates folia subfrondose locantur obverse ovata, obtusissima cum parvo acumine, integerrima praeterquam ad apicem, ubi sunt obsoleto crenata, dorso tomento incano vestita, facie virentia pilisque albidis obducta cum nervo medio incano, mollia, crassiuscula, brevi petiolo fulta. Flores elegantes & fortissimo ac peculiari odore, etiam post delapsa petala, praediti ponuntur in eodem pedunculo communi unciali vel breviori, orto ex apice ramulorum, circiter duodeni. Pedunculi proprii bipollicares teretes villosi & canescentes bracteola instruuntur una alterave setacea, corymbumque simul formant speciosum. Calyx pallidissime virens & utrinque valde tomentosus dividitur in lacinias patentissimas & ex lata basi angustatas in acumen. Petala sunt ampla, alba, ovata, obtusissima breviterque unguiculata. Filamenta stylis longiora albida & circiter viginti antheris onerantur magnis, luridis, incumbentibus, purpureis; effoetis nigricantibus. Fructus depresso-subrotundus, cum obsoleta suffusa purpura virens, carne albida. Floret in principio Maii. Pyra carpuntur Octobri incipiente, quando sunt tam austera, ut vel immatura superent mespila. Post paucas hebdomadas asservata suaveolentiam acquirunt, quam demum deperdita, tandem sub finem Novembris vel Decembri mollescunt, fuscum colorem induunt, putrescendoque evadunt dulcia sine ulla acerbitate, saporis grati, & comeduntur a rusticis, dicta *Schneebirne* seu Pyra nivalia. Crescit ad margines sylvarum montosarum & ad vineas. Amicissimo Mygindo primam hujus arboris notitiam debeo.

TABULA CENTESIMA OCTAVA.

ORCHIS SAMBUCINA. *Linn. syst. pag.* 590. *mant. pag.* 486.

Orchis radicibus palmatis, bracteis coloratis, labello circumscripto, trilobato, lobo medio emarginato. *Hall. hist. helv. num.* 1280.

Orchis palmata lutea, floris labio maculato. *Seg. ver.* 3. *pag.* 249. *tab.* 8. *fig.* 5.

Orchis pannonica octava. *Clus. hist.* 269.

Orchis palmata, sambuci odore. *Bauh. pin.* 86.

Crescit ad margines asperos & herbidos sylvarum montosarum, ubi floret initio Maji. Caulem teretem erectum & semipedalem folia amplectuntur plerumque quina, ad intervalla alternantia, oblonga, nonnihil carinata, duas tresve uncias longa, dimidiam lata, vel etiam angustiora, infima obtusiuscula, superiora magis acuta. Inter summum folium & spicam caulis est acute ac inaequaliter angulatus. Bracteae lanceolatae, acutae, & cum virente flavedine pallentes, longitudine fere ipsos aequant flores. Spica est bipollicaris, nec valde densa. Flores semper inodori ex sulphureo pallent, nectarii labello paulo magis luteolo punctisque purpureis infra faucem adsperso; quae tamen puncta desiderari vidit in uno alterove individuo illustris de Mygind. Petala lanceolata; exteriora duo retrorsum reflexa eriguntur; reliqua tria in cucullum recte connivent, nec tamen connata, quorum supremum in marcescente flore secedere a subjectis lateralibus iterum solet. Nectarii cucullus parvus & bilocularis oras habet purpureas. Antherae pyriformes & cinereae eriguntur. Cornu obtusum, vix emarginatum, & germine pauxillo longius deorsum propendet. Labellum est amplum, magis minusve crenulatum, lineis aliquot pictum flexis descendentibus, subtrilobum cum lobo medio minimo, lateribus reflexis. Radix constat bulbis geminis subcompressis carnosis albidisque. In tenella plantula, ex seminibus exorta, adhuc dum unifolia, primus bulbus est fibra fusiformis, unica fibrilla superne aucta, ad cujus oppositum latus proximo primo vere alter bulbillus ovatus, etiam integerrimus, nec palmatus, enascitur. Et frequentius etiam in plantis adultis jam florentibus bulbillus novus integer, subpalmato semper mihi tunc viso bulbo senescente, quales etiam depingi curavi. Bulbus palmatus plerumque bifidus est, rarissime trifidus, idque obsolete. Fuit tamen etiam ab illustri Mygindo inventus in adulta stirpe uterque integerrimus & ova-

ovatus visus; ut itaque hæc planta media sit inter Orchides palmatas, easque, radices quæ habent integras, hosque ordines veluti connectat. Differt tamen etiam vel sic Orchis hæc sambucina ab Orchide pallente in tabulæ hujusce Floræ quadragesima quinta depicta, cui scilicet bulbi bini uterque perpetuo est integerrimus. Alia utramque inter magisque spectata discrimina, (nam operæ pretium est, plantas tam affines rite distinguere,) sunt in foliis in sambucina dilutius virentibus, duplo triplove angustioribus, vere caulinis perque intervalla dispositis; nec autem subradicalibus & vaginis omnium confluentibus in pallente. Tum in pallente flores semper sambuci odore pallent; bracteæ sunt multo angustiores & breviores; nectarii labellum perpetuo immaculatum est; & cornu manifeste emarginatum retrorsum adscendit. At vero in sambucina hæc omnia aliter se habent: flores enim constanter observo inodoros, nectarii labellum purpureis punctis fere semper variegatum, & cornu vix emarginatum tendere deorsum. Ut itaque hæ stirpes abunde ab invicem & ab affinibus mihi cognitis discriminentur. Manent tamen, quas solvere nequeo, difficultates super utriusque a me synonymis adductis. Illustris Hallerus pallenti esse odorem dicit urinæ felis, ut feminas teneras fere in animi deliquium præcipitet. Clarissimus Seguierus, ejusdem hujus flores ingratum hircosumque odorem olere. Pallenti nostrati tamen, fortis quidem, simul gratissimus atque simillimus florum sambuci odor est. Vel in majoribus etiam speciminibus nostratibus folia uncialem latitudinem rarissime excedunt, quam bipuncialem suis individuis Helveticis Hallerus adscribit. Atque hæc sunt auctorum discrimina in pallente. In Orchide sambucina haud minor variatio est; enim apud Seguierum, &c, ex dato triviali nomine, apud celeberrimum Linnæum, flores suaviter olent; gravem sambuci odorem apud Clusium, Austriacum autorem & autopten; quibus tamen ex adverso odorem esse aliquem, negat nobiscum Hallerus. Tandem huic flores Clusius tribuit nullis punctis distinctos. Tot ego diversitates componere nequeo. Clusiana Orchidis ol... figura, folia si excipis nimium palmatos bulbos, quadrat exacte in sambucinam; descriptio vero confundit utramque. Sambucinam & pallentem pro suis iisdem in litteris ad me datis Linnæus agnovit; pro sua pallentem Hallerus. Figuræ duæ marginales tabulæ meæ floris integri structuram exacte absolvunt.

TABULA CENTESIMA NONA.

VERONICA MONTANA. *Linn. syst. pag. 58. mant. 316.*
Veronica procumbens. *Riv. irr. mon. tab. 93.*
Veronica subbiscutata. *Crantz. fasc. pag. 343.*
Veronica caule procumbente; foliis hirsutis, cordatis, retusis; racemis pauciflori. *Hall. hist. helv. num. 539.*
Veronica rotundifolia serrellata aut biscutata hederæ folio. *Mor. hist. 2. pag. 322. s. 3. t. 23. f. 15.*
Chamædry spuriæ affinis rotundifolia scutellata. *Bauh. pin. 249.*
Alysson Dioscoridis montanum. *Col. ecphr. 1. pag. 286. t. 288.*

Radix fibrosa & perennis caulem unum alterumve fundit teretem, pilis mollibus hirsutum, ex fusco purpureum, haud admodum ramosum, ferme totum prostratum, semipedalem vel etiam sesquipedalem, adultum infra folia ex geniculis non solum, vel in integro decursu radiculas in terram demittentem. Folia sunt hæc ovata, obtusa, serrata, hirsuta, petiolata, opposita, & obscure virentia. Racemi ex intermediorum plerumque foliorum axillis paucissimi, rarius oppositi, egrediuntur; pauciflori, tenues, hirsuti, foliisque longiores. Calyx constat ex foliolis quatuor hirsutis & subæqualibus. Corolla ex purpureo cærulescit cum tubo pallido; lacinia intima immaculata, reliquis per venas saturatiores lineatis. Filamenta & stigma albent. Antheræ cærulescunt. Stylus dilute purpurascit. Capsula orbicularis cum apice emarginato, compressa, ad oras ciliata, fu-

fco,

ſca, ratione congenerum magna, in quolibet loculamento fovet ſemina quatuor, ſubor-
biculata, plana, ſilo inciſa, flaveſcentia, ſubpellucida, quæ maureſcunt Auguſto. Flo-
ret Junio & Julio. In ſylvis umbroſis ſubalpinis frequentiſſima planta. Fructus matu-
rus cum adhærente calyce ſemenque etiam ſiſtuntur ſeorſim.

TABULA CENTESIMA DECIMA.

RANUNCULUS ALPESTRIS. *Linn. ſyſt. pag.* 379. *Scop. carn.* 1. *p.* 393. *Crantz. faſc. pag.* 113.

Ranunculus uniflorus, foliis lævibus, ſemitrilobis, rotunde ſerratis, caulinis lin-gularis. *Hall. hiſt. helv. num.* 1167.

Ranunculus alpinus humilis albus, folio ſubrotundo. *Seg. ver.* 1. *pag.* 489. *tab.* 12. *f.* 1.

Ranunculus montanus primus. *Et Ranunculi montani primi ſpecies altera. Cluſ. hiſt.* 234.

Ranunculus minimus alpinus rotundifolius, *flore minori. Bauh. pin.* 181.

Ranunculus alpinus humilis rotundifolius, *flore majore. Bauh. pin.* 182.

Acris plantula & tota glabra radici innititur oblongæ, perenni, inæquali, fuſceſcenti,
calamo tenuiori, & unciali, quæ per totam longitudinem fibras teretes albidas lon-
gasque recta demittit. Folia radicalia ſunt in plurimum profunde triloba, rotundata, craſ-
ſiuſcula, nitida; lobis inciſis & obtuſis, medio plerumque trifido. Caulis ſolitarius, vel
pauci, bi-vel triunciales, erectus, uniflorus, rariſſime biflorus, leviter compreſſus at-
que ibidem utrinque ſulcatus, folio circa medium inſtructus oblongo obtuſo ſubſeſſili in-
tegerrimo uno alterove, interdum ternato, baſi membranacea albaque veluti vaginante ac
œta in lateribus non ſulcatis. Calycis foliola ſunt ovata, concava, obtuſa, pallide cum-
que aliquo virore flaveſcentia, ad oras membranacea tenuia & albida; quorum unicum,
latius reliquis, apicem ſæpe truncatum habet, aut emarginate inciſum. Petala ſunt pa-
tentiſſima, nivea, obverſe & late cordata, ferme plana, calycem parumper ſuperantia,
lateribus ſibi mutuo incumbentia, ad ipſum unguem puncto inſignita fuſco, quandoque
multiplicata. Filamenta flaveſcunt cum antheris luteis. Germina ex ovata baſi ſubulata
abeunt in totidem ſemina parva, ſubrotundo-ovata, mucronata, glabra, in capitulum
collecta. Petioli & caulis inferne rubent. Creſcit frequentiſſime in ſummis alpium ju-
gis, florens poſt nivium ſolutionem, hinc diverſis in locis diverſo tempore, Majo Junio
vel Julio. Fructus ad marginem conſpicitur.

TABULA CENTESIMA UNDECIMA.

MYAGRUM AUSTRIACUM. *Jacq. obſ. bot. part.* 1. *pag.* 43.

Naſturtium auſtriacum. *Crantz. faſc. pag.* 15.

Jam decimus quartus agitur annus, ubi introducta in hortum hæc planta fuit, adhuc-
dum perſtans ac perennans, dum radicibus longis ramoſis & profundis prolifera ſer-
pit. Tota glabra eſt. Caules ſunt ſubangulati, herbacei, erecti, ramoſi, folioſi, pe-
dales vel cubitales. Folia ſunt oblonga, obtuſa vel acutiuſcula, virentia, radicalia ad ba-
ſin attenuata & inciſa; caulina ſeſſilia, baſibus productis ſagittato-amplexicaulia, & ſerra-
ta. Flores toti lutei locantur in racemis terminalibus corymboſis paulatim elongandis ad
duas vel ultra uncias. Germen eſt globoſum & glabrum. Stylus craſſus breviſque deſi-
nit in ſtigma capitatum & obtuſum. Silicula globoſa, parva, ſtylo obtuſo craſſoque co-

ronata, obsolete pedicellata, glabra, aequalis, bilocularis semina utrinque continet circiter quina subovata, dissepimento affixa. Crescit in argillosis, & sterilioribus pascuis, florens Junio, fructescens Julio. Racemus fructiger maturus est in margine.

TABULA CENTESIMA DUODECIMA.

SALVIA AUSTRIACA.
Salvia Sclarea. *Jacq. vindob. pag. 6. Crantz. fasc. pag. 236.*
Hormini sylvestris quarti altera species. *Clus. hist. XXX?*

Rarum plantam, paucissimis in collibus herbidis, ibidem vero sat copiose, crescentem, ubi Majo Junioque floret, comparatam cum affinibus, ad nullam ceu varietatem referre potui, male olim ad Sclaream amandatam, nunc tuto, speciem esse distinctam, quod nec mutet culta habitum suum. Radix perennis, calamum vel duplo magis crassa, fere pedem longa, subsuffruticans, foris nigricans, intus pallida, fibris augetur, etiam ramosa quandoque, & recta deorsum, nisi ad lapidem allidat, descendit. Folia radicalia sunt ovata, modo valde lata, modo angustiora, acuta vel obtusissima, inaequaliter crenata, pinnatifida inciso, utrinque basibus ultra originem productis magis minusve cordata, per venas valde contractas rugosa, crassiuscula, superne atrovirentia & glaberrima, subtus canescentia pallida atque nervis & venulis villosa, terrae in orbem presse incumbentia, petiolis donata superne purpurascentibus planis & glabris, dorso protuberante & ad oras villosis, odoris fere experti, super paulum exsiccata, fere quatuor vel sex. Caulinorum oppositorum par duntaxat unum alterumve prioribus simile est, nisi quod tum haec sessilia, acuta, multoque minora & angustiora. Caulis e medio assurgit unicus, rarissime plures, pedalis, rarius bipedalis, stricte erectus, firmus, tetragonus, calamum crassus, parum fistulosus, simplicissimus vel superne breviter ramosus, annuus, totusque villosus. Bracteae cordatae, integrae, acuminatae, & mollibus albidisque pilis hirsutae, in sinu flores senos breviter pedunculatos locant. Calyx angulosus, compressus, glutinosus, & virescens striis paucis elevatis interdum obsolete purpureis, longitudine aequat bracteas, condeinque bifariam habet, in labia divisus bina, superius obtusum & emarginatum, inferius acutum & bifidum. Inter pilos modo dictos, simplices, cum in caule, tum in calyce bracteisque conspicuos, alios microscopio detego triplo prioribus breviores, capitatos & glandulosos, qui contrectantis manum imbuunt odore sclareae mitiori. Corollae petioso pallide ochroleucae vel albidae, nec unquam purpureae, tubus est ad faucem inferne gibbosus & longitudine calycis. Galea compressa, oblonga, obtusa, & emarginata, externo villis glandulosis tegitur. Labii inferioris lacinia intermedia subrotunda & submarginata porrigitur; laterales oblongae obtusae & duplo breviores erigantur. Filamenta pallida extra corollam longius exserta antheris gaudent oblongis & flavis. Stylus albet cum stigmate caeruleo. Semina sunt ovata, ex fusco nigricantia, glabra, inodora, insipida, massa glutinosa. Radicem, nescio, quo vitio laborantem, fere semper inveni intus corruptam.

TABULA CENTESIMA DECIMA TERTIA.

GENTIANA CILIATA. *Linn. syst. pag. 201. Scop. carn. 1. pag. 176.*
Gentiana flore quadrifido, oris ciliatis. *Hall. hist. helv. num. 653.*
Gentianella caerulea, oris pilosis. *Bauh. pin. 108.*
Gentianella caerulea fimbriata, angustifolia, autumnalis. *Col. ecphr. 1. p. 221. & 222.*
Rarv. ic. 97.

Gen-

Gentianella autumnalis, foliis centaurei minoris, flore cæruleo. *Bod. ext. aut. O. 2. fol. 3. fig. 2.*
Gentianula lanugine ad singulorum foliorum floris lacinias donata, flore quadripartito. *Bauh. hist. 3. pag. 525.*
Calathiana autumnalis. *Gesn. num. 88.*

Glabra tota est & amaricans. Radix teres, gracilis & albicans recta deorsum tendit, turionum novorum rudimenta sæpe protrudens, ut perennis videatur, caulemque fundit plerumque unicum, interdum etiam plures. Hic a duobus ad octo uncias altus erigitur, foliosus, angulatus, frequentius uniflorus, quandoque tamen etiam ex alis foliorum superiorum emittens ramulos erectos breves & flore terminatos. Folia sunt opposita, sessilia, acuta, concava, integerrima, firma, erecta, venis apparentibus destituta, sublinearia, infima magis lanceolata & breviora. Flos sessilis & inodorus. Calyx tetragonus, tubulosus, laxus, cumque sordente purpura virens, supra medium dividitur in quatuor lacinias erectas & lanceolato-acuminatas, quas nullas contingit videre dentatas. Corolla semiquadrifida modo est saturatissime violacea, modo cærulescit. Tubus obscure tetragonus interne cum virore pallet. Laciniæ sunt ex oblongo obverse ovatæ, obtusæ, interne oras pilis concoloribus sive fimbriis ciliatæ, superne inæqualiter serrulatæ, rarius patentissimæ, cujusmodi altera icon habet, sed plerumque magis erectæ, uti in figura plantulæ minoris. Vidi rarissimo exemplo corollam sexfidam, calyce tamen staminibusque hunc numerum non secutis. Quinquefidam vero nunquam observavi. Filamenta quatuor, plana, pallidaque, sunt, ubi tubo accrescunt, utrinque ciliata. Antheræ oblongæ, didymæ, incumbentes, badiæ, post explosum flavum pollen luteæ, nec tunc conglutinantur, sed manent liberæ. Germen est lanceolatum, compresso-tetragonum, & longe pedicellatum. Stigmata orbicularia, concava, primum erecta, tum patula, tandem revoluta, cum fructu increscentia. Capsula fusiformis, valde compressa, ut duo anguli ferme evanuerint, continet semina scobiformia. Crescit in montosis asperis apricis. Floret Septembri & Octobri. Ex figura judicanti, non videtur mihi eadem esse posse cum Gentiana exhibita in Floræ Danicæ tabula 317, quæ citatur a Linnæo. Capsula integra, eadem jam patens, & stamina cum corollæ parte, cui adnascuntur, sistuntur inter plantam majusculam & aliam simplicissimam.

TABULA CENTESIMA DECIMA QUARTA.

POTENTILLA RUPESTRIS. *Linn. syst. pag. 350. Scop. carn. 1. pag. 358. Gouan. ill. pag. 33.*
Fragaria rupestris. *Crantz. fase. pag. 72.*
Fragaria foliis pinnatis; pinnis septenis, subrotundis, serratis. *Hall. hist. helv. num. 1127.*
Quinquefolium quintum fragiferum. *Clus. hist. CVII. Bauh. pin. 326.*
Pentaphylloides erectum. *Bauh. hist. 2. pag. 398. d.*
Pentaphylloides majus erectum flore albo, foliis alatis & hirsutis. *Moris. hist. 2. pag. 192. s. 2. t. 20. f. 1.*

Altero a satione anno floret. Radix lignosa, perennis, ramosa, digitum crassa, foris nigricans, intus albida, multiceps, sæpe horizontaliter sesquipedalem pergit longitudinem, sapore prædita adstringente. Caules sunt teretes, recti, rubri, subvillosi, sesquipedales, superne ramis aucti fereque dichotomi, foliis paucis distantibus ornati, firmi, graciles, nitidi, annui. Folia radicalia caulinaque infima sunt pinnata foliolis utrinque tribus cum terminante impari, caulina media ex binis, summa ternata & subsessilia. Costæ antice sulcatæ & rubentes, subtus teretes & virentes, basin stipulas habent.

bene. Foliola ſunt ex ſubrotundo vel anguſtius ovata, aut etiam lanceolata, inæqualiter inciſo-ſerrata, obtuſa vel acuta, breviſſime petiolata, utrinque vix manifeſte piloſa, extima multo majora. Rami pedunculi & calyces ſunt villoſi. Petala obverſe ovata, obtuſa, integerrima & alba calycem parum ſuperant. Filamenta brevia pallent. Antheræ ſunt luteæ ovatæ & compreſſiſſimæ. Semina parva ovata & glabra feſceſcunt. Floret Majo & Junio. Creſcit in pratis montoſis.

TABULA CENTESIMA DECIMA QUINTA.

POTENTILLA ALBA. *Lin. ſyſt. pag.* 351.
Potentilla nivalis. *Scop. carn.* 1. *pag.* 362.
Fragaria alba. *Crantz. Stirp.* 78.
Quinquefolium primum majus flore albo. *Cluſ. hiſt. CV.*
Quinquefolium ſylvaticum quintum. *Tabern. herb. pars.* 1. *p.* 436.
Quinquefolium album, radice tuberoſa ſubpendula. *Burſer. apud Linn. amœn. acad.* 1. *p.* 165.

Radix perennis, lignoſa, ramoſa, atra, calamum craſſa, foris nigreſcens, intus ſordide albens cum diſciſſa ſuperficie rubens & ad aerem rufeſcens, ſapore pollens valde adſtringente, horizontaliter pergit, inque ſuo decurſu plures demittit fibras craſſas, aliquot ſæculorum ſanguinibus, ſubfiliformes, colore nigriſcentes. Caules breves, lignoſi, perennantes, a ſuperſtitibus petiolorum emarcidis reliquiis inæquales ac velut ſquamoſi, & nigricantes procumbunt: ex quibus cum alii cauliculi herbacei, tum folia, radicalium vices gerentia, prodeunt. Cauliculi illi ſunt teneri, teretes, piloſi, erubeſcentes, pallide virentes, annui, tres quatuorve uncias longi, ſuperne in pedunculos paucos diviſi, inde in folia teretia & petiolata, ſummis lanceolatis acuminatis & ſeſſilibus. Folia ſubradicalia innituntur petiolis ipſos cauliculos ſæpe excedentibus, teretibus, hirſutisque; digitata ex foliolis quinis, obverſe lanceolatis, facie glaberrimis ac læte virentibus, dorſo pallidioribus ac pilo incano & ſericeo villis nitidiſſime pubeſcentibus, ferme ſeſquiuncialibus, patentibus, ad apicem per denticulos numero inconſtantes rariſſimeque ad medietatem uſque continuatos inciſo-ſerratis, acutis obtuſis vel etiam retuſis. Cauliculorum foliola minus eſſe inciſa ſolent. Utrobique petiolorum baſis ſtipula lanceolata & acuminata hinc atque illinc munitur. Pedunculi unciales & hirſuti flores gerunt, quibus calycina foliola ſunt lanceolata, acuminata ac hirſuta. Petala obverſe cordata, nivea, unguibus calycemque haud multum ſuperantia. Filamenta circiter viginti quatuor, pallida, & antheris donata luteis. Receptaculum eſt etiam hirſutum. Creſcit haud infrequens in herbidis ſylvaticis montanis, nec ad alpes adſcendit. Floret Majo, & monente etiam Cluſio, ſæpe denuo Auguſto.

TABULA CENTESIMA DECIMA SEXTA.

POTENTILLA CLUSIANA.
Potentilla cauleſcens. *Jacq. enu.* 246. *Scop. carn.* 1. *p.* 366.
Fragaria cauleſcens. *Crantz. Stirp. pag.* 78.
Quinquefolium ſecundum minus albo flore. *Cluſ. hiſt. CV.*

Elegans plantæ radice ſua perenni, lignoſa, ramoſa, longa, digitum ſæpe craſſa nigraque, ſaxorum alpinorum fiſſuris humo repletis innititur. Hæc multiceps dividitur in caules breves, more ſenſim productos magis, lignoſos, perſiſtentes, a deperditorum

toto foliorum relictis petiolis dense valdeque squarrosus, ramosus, primarios decumbentes in cespitem, reliquos adscendentes. Rami floriferi oriuntur ad latus foliorum terminalium sive elongati noviter caulis, simplices, teretes, erecti, pubescentes, purpurei, annui, pauciflori, duas tresve uncias alti. Folia sunt digitata, utrinque pallidius virentia, pubescentia, caulina quinata, ramea in ramis floriferis (qui pedunculi forte dicendi) ternata: foliolis ad apicem dentibus tribus, eisque planius, acute incisis. Floribus pedunculatis, inodoris, subcorymbosis, pauciisque calyx est hirsutus purpureusque; petala candida, subrotunda, obtusa, integerrima aut leviter emarginata, calycemque parum superantia; filamenta in aliis rubra, albida in aliis. Antheræ flavescunt. Receptacula fune pilosa. Stipulæ subulatæ, minimæ, adstant utrinque ad basin petiolorum. Floret totam æstatem. Cultu habitum non mutat. A Potentilla canescente Linnæi, cujus icon postea sequetur, hanc vere diversam existimo.

TABULA CENTESIMA DECIMA SEPTIMA.

SCILLA BIFOLIA. *Linn. syst. pag.* 245?
Anthericum bifolium. *Scop. carn.* 1. *p.* 245.
Phalangium radice bulbosa, foliis latissimis, obtusis; spica pauciflora; stipulis minimis. *Hall. hist. helv. num.* 1251.
Hyacinthus stellatus vulgaris. *Clus. hist.* 184.
Hyacinthus stellatus bifolius vernus dumetorum, flore cæruleo. *Bauh. hist.* 2. *p.* 579.
Hyacinthus stellaris bifolius germanicus. *Rupp. pag.* 45.

Bulbus ex subrotundo ovatus, unus cum pauco intermixta sordine albicans cum tunica externa subcinerea, cepaceus aut solidus, insipidus, basique fibrillis auctus, is ex squamis manifestissimis crassis carnosis & mutuo amplexantibus. Ex hoc folia oriuntur duo, quæ, a me observata semper, continet, nec plura unquam, nec pauciora, quæ tamen interdum esse certa, afferunt Clusius, Hallerus & Bauhinus. Hæc convoluta longum teretemque culmum mentiuntur, eoque longiorem, quo bulbus profundius terræ immergitur; superne patentia, canaliculato-concava, mollia, saturate virentia cum suffusa sæpe purpura, extus lineata, a tribus ad octo lineas lata, ita tamen ut externum sit interiore opposito latius, paulloque longius, ad apicem subula teretiuscula aut plana. Trans medium foliorum vaginam exit scapus teres, nudus, ultra folia parumper productus, super terram a tribus ad octo uncias altus, superne purpurascens, ad pedunculos parum angulatus, inordinate laxe racemosus. Pedunculi uniflori, patuli, a duobus ad decem, bracteæ plerumque subjacent exiguæ, ut vix ullæ, imo sæpe omnino nullæ, rarissime notabiliores aliquæ oblongæ, extus purpurascentes, intus cæruleæ. Flores modo eodem vertuntur omnes, modo aliter se habent. Petala ovalia, lineam mediam plerumque elevatam gerentia, leviter convexa, patentissima, intus saturatissime violacea aut cærulescentia magis, dorso pallidiora, ungue donata pallido, alterna angustiora & ad apicem obsolete callosa, marcescendo persistentia. Filamenta æqualia, subulata, compressa omnia, ad basin alba, ceterum corollæ concolora, antheras sustinent incumbentes, atroviolaceas, cum polline cinereo. Pistilli cærulei germen subrotundum, leviter sexsulcatum, lineis exalbidis insignitur ternis vel senis. Stylus trisulcatus & longitudine staminum, emarcidus diu persistit, tandem in fructu maturo evanescens. Capsula subrotunda, triquetra, rugosa, obtusissima, pallens, trilocularis & trivalvis semina in quolibet loculamento pauca tenet, subrotunda, nitida & pallida. Ob fructuum pondus scapus versus terram inclinat. Tota plantula glabra est. Crescit in sylvis montanis inque insulis Danubialibus. Floret Martio. Fructus maturescit Majo. Non ausus fui ex figura Oederianam tabulæ DLXVIII plantam huc transferre. In tabula duæ varietates sistuntur; cum discissis bulbus, scapus fructiger, capsula aperta, & semen.

TABULA CENTESIMA DECIMA OCTAVA.

CAMPANULA ALPINA. *Linn. syst. pag.* 160. *Jacq. vindob. pag.* 210.
Campanula foliis ellipticis hirsutis, pediolis caulibus unifloris, floribus glabris. *Hall. hist. helv. num.* 659.
Campanula alpina pumila lanuginosa. *Bauh. pin.* 94.
Trachelium pumilum alpinum. *Clus. hist.* CLXXI.

Plantula elegans, rarius semipedem altitudine superans, tota magis minusve pilosa, ex radice subfusiformi, insipida, longa, foris fuscescenti, intus albida, perenni, & per aetatem multicipite exoritur. Caulis tener, simplex, striatus, teres, duas tresve lineas in diametro ad basin aequans, virens, erigitur, & foliis ornatur ad radicem confertis, caeterum magis sparsis, terminatus flore unico. Pedunculi axillares in foliis fere omnibus, subteretes, striati, erecti, solitarii, superiores caule altiores, binis vel ternis foliolis alternantibus instructi, apice sustinent florem unicum magnum & pendulum, omnino a tribus ad viginti, formantes simul omnes thyrsum ovatum laxumque. Folia sunt lineari-oblonga, superne latescentia varie in variis, obtusa, subsessilia, integra, inferiora rarius obsolete dentata, suprema omnino glabra. Flores inodori caerulescunt. Calyx subhirsutus, monophyllus, inferus, profunde quinquepartitus, basi planus & rugosus, et persistens, in lacinias dispescitur lanceolatas, acuminatas, planas, erectas, longitudine tubi corollae. Petali interne pilosi lacinia sunt breves, subrotundae & concavae. Nectarii valvulae semiovatae & caeruleae. Filamenta antheras gerunt lineares. Germinis caudati semiovati trigoni viridique basis adnascitur basi calycis cum receptaculo, caeterum a calyce liberi. Stylus longitudine corollae stigmate coronatur trifido. Capsula supera, rotunda, obtusa, glabra, trilocularis, in maturitate trifariam perforatur ad basin. Semina parvima, plana, margine membranacea, flavescunt. Crescit in summis jugis herbidis alpinis, florens a Junio ad Augustum, semina dans Septembri & Octobri. Ad latus capsula matura adjungitur cum semine.

TABULA CENTESIMA DECIMA NONA.

HIERACIUM MOLLE.

Radix perennis, nigricans, praemorsa, & fibris illis longis teretibusque instructa gignit annuarim caulem simplicem, erectum, striatum, purpurascentem, subhirsutum, foliosum, pedalem vel duplo longiorem, cujus summitas in pedunculos paucos dividitur unifloros aut bifloros, sesquipollicares, erectos & hirsutulos. Folia sunt ovalia, obtusa, integerrima, utrinque villosa, mollia, superiora sessilia, infima & radicalia paulatim angustata in petiolum aut simplicem aut submarginatum. Sunt haec etiam in aliis individuis subdenticulata; suntque iterum in aliis lanceolata, idque aut obtuse aut acute; ex his a prioribus, magis frequentibus, differunt haud notabiliter. Calyx oblongus constat foliolis in unica fere dispositis, nec imbricatis, subaequalibus, linearibus, acutis, erectis, concavis, atrovirentibus & hirsutis. Ad basin plerumque adest squamula una alterave minima, vix observanda. Corolla saturate lutea, antheris & stigmate concoloribus. Semina striata rufescunt, coronata pappo sessili piloso, ad lentem dentato. Reliqua cum charactere Linnaeano congruunt. Crescit ad margines sylvarum subalpinarum, ubi flores producit Julio, & semina Augusto. Ad Hieracium murorum proxime accedit, quocum saepe mixtum crescit, vere tamen diversum, & foliorum in caule numero florumque colore, vel etiam ab illo distinguendum. Cultum in horto floret sub finem Maii & initio Junii; ex foliorum aliis ramosior evadit; caeterum habitum haud mutat, ut etiam hic facillime distinguatur. Semen in margine exhibetur.

TA-

TABULA CENTESIMA VIGESIMA.

SILENE QUADRIFIDA. *Linn. syst. pag.* 311.
Viscago foliis teneris, recurvis; petalis quadrifidis. *Hall. hist. Stirp. num.* 918.
Lychnis alpina, foliis angustis, reflexis; petalis quadripartitis. *Seguier. ver.* 3. *pag.* 186. *t.* 5. *f.* 1.
Lychnidis sylvestris decimæ aliud genus. *Clus. hist.* 291.
Alsine alpina glabra, folio reflexo. *Pluk. alm.* 23. *t.* 75. *f.* 5.

Admodum varias hæc planta, modo pusilla & uniflora aut biflora, modo ramosa & semipedalis; quam utramque varietatem tabula depictam sistit. Modo iterum unicaulis; modo ex radice multiplice densissimum caulium cespitem premit. In maximis individuis ramificatio est dichotoma. Radix teres & longe perennat. Caules tenelli & debiles erriguntur. Tota glabra est. Folia sunt parula, sublinearia, sessilia, opposita, integerrima. Pedunculi longi. Calyx subcampanulatus, obsolete quinquangularis, & apice quinquedenticulatus pallide viret. Petala quinque, rarissime sex, obverse lanceolata, nivea, calyce duplo longiora & patentia attenuantur in unguem, nunc levissime quadridentata denticulis lateralibus brevioribus, nunc solummodo emarginata. Appendices ex singulis petalis assurgunt geminæ, lanceolatæ, acutæ & erectæ. Capsula est ex subrotundo ovata, obsolete hexagona, obtusa, magnitudine calycis, apice sexvalvis. Semina sunt Silenæ alpestri simillima. Floret Julio & Augusto. Semina maturare incipiunt sub finem Septembris. Crescit copiose in alpibus. Capsula integra eademque aperta etiam adstant.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA PRIMA.

EUPHORBIA FALCATA. *Linn. syst. pag.* 332. *Amæn. acad. vol.* 3. *pag.* 118.
Tithymalus annuus supinus, folio rotundiore acuminato. *Tourn. inst.* 87.
Tithymalus seu Esula exigua chalepensis, ramosior, foliis lateribus lunatiformibus. *Moris. hist.* 3. *pag.* 339.
Pithyusa minor, subrotundis & acutis foliis. *Barr. ic.* 751.

Annua planta ex radice longa terete albicante fibrillisque adnata exsurgit, tota lactescens, spithamæa, glabra. Caulis teres, suberigitur, foliosus, pluresque vel ab ipsa sæpe radice ramos horizontaliter patentes emittens. Folia caulina & ramea sunt obverse lanceolata, basi attenuata, obtusiuscula vel acuta, plerumque simul mucronata, integerrima, sessilia, inordinate alternantia, ex glauco virentia. Cum his involucra umbellæ universalis plane congruunt, solummodo duplo vel triplo latiora. Involucella omnia sunt ex ovato subrotunda, interdum etiam magis ovata, nunquam ad basin cordata, mucronata; obliqua, scilicet latere altero, quo opposita magis ab invicem divergere solent, latiore, hinc veluti falcato; integerrima aut obsoletissime denticulata. Umbella universalis est indiscriminatim vel trifida vel quadrifida; reliqua divisio per dichotomiam absolvitur. Rarorum divisio ex integro dichotoma, aut sola universalis trifida observatur. Flosculi sunt sessiles & exigui. Calyx campanulatus & interne hirsutus viret. Petala quatuor, lunata, inæqualia, discum habent purpureum cum utroque cornu virente. Filamenta albent. Antheræ globosæ sunt, & fulcatæ. Germen pedicelli ope extra calycem dependet; fructus autem in eodem elongato erigitur. Capsula glabra continet semina ovata, obtusa, utrinque duplici longitudinali serie foveolarum minimarum notata. Crescit copiose in agris & arvis; etiam ad vias. Floret imprimis Julio. Circa autumnum folia perdere suevit, ultroque tunc magis, sed valde contracta, subdivisa, etiam fere habitum induit, ut vix fallere examinantem possit. Aucta quoque conspiciuntur in margine flos & semen, atque inter hæc in genuina magnitudine capsula & semen.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA SECUNDA.

ORCHIS CORIOPHORA. *Linn. syst. p. 589. Scop. carn. 2. pag. 189.*

Orchis cimicina. *Crantz. fasc. pag. 498.*

Orchis radicibus subrotundis, galea connivente, labello trifido, reflexo. *Hall. hist. helv. num. 1284. tab. 34. it. here. §. VII. all helv. vol. 4. pag. 156.*

Orchis odore hirci minor. *Vaill. par. pag. 149. tab. 31. fig. 30. 31. & 32. Bauh. pin. 82.*

Orchis flore parvo, viridi purpureo. *Riv. Sec. irr. t. 20.*

Tragorchis minor, flore fuliginoso. *Raj. hist. 1213.*

Tragorchis minor & verior, sive Coriosmites, vel Coriophora, flore instar cimicum. *Lob. ic. 177.*

Constituunt radicem bulbi gemini, subrotundi, nec magni. Caulis rectus & pedalis vel brevior foliis per totam longitudinem vestitur ensiformibus, omnino septem vel pluribus, acutis, erectis, superioribus conniventibus, infimis planis, majore longitudine uncias quatuor, latitudine vix decem lineas æquantibus. In spica sat densa ac biunciali bracteæ sunt lanceolatæ, acutæ, longitudine germinis. Flores ingratum spirant cimicum odorem, eoque fortiorem, quo magis jam flavescunt. Petala omnia in galeam concavam acuminatam erectamque arcte connivent, ut unicum videantur; suntque tria exteriora ex fusco purpurea, in principio tamen simul quadam perfusa virore, lineis saturatioribus obscure insignita; interiora duo ferme excoloria & minora. Hæc autem atque superiorum figura gaudent lanceolata; lateralia duo exima ex basi ovata. Nectarii cornu est conicum, dilute purpureum, & descendendo parallelum germini superne purpurascenti ac incurvo. Labellum ad fauces album, purpureisque punctis adspergitur, hinc in lobos tres profunde dividitur oblongos, obtusos, planos, atque purpureos; laterales latiores, breviores, sæpius crenatos; intermedium aut dentatum aut integerrimum. Filamenta capillaria & longa antheris instruuntur obverse ovatis & flavis. Floret Junio. Ad marginem adstant diversa petala, separatim posita; cum flos auctus.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA TERTIA.

PELTARIA ALLIACEA. *Linn. syst. pag. 437. Jacq. vindob. pag. 260. Scop. carn. 2. pag. 4.*

Bohadschia. *Crantz fasc. 5. tab. 1. f. 1.*

Clypeola perennis, foliis inferioribus petiolatis cordato-angulatis; superioribus amplexicaulibus lanceolatis; siliculis unilocularibus. *Ard. spec. 16. t. 6.*

Thlaspi montanum primum peltatum. *Clus. hist. CXXX.*

Thlaspi pannonicum. *Lob. ic. 219.*

Thlaspi montanum, glasti folio. *Bauh. pin. 106.*

Thlaspi folio alliariæ. *Bauh. hist. 2. pag. 932.*

Thlaspi montanum monospermum glasti folio absque septo medio. *Moris. hist. 2. p. 298. s. 3. t. 18. f. 34.*

Radix teretis, ramosa, albida, longa, perennis, lenta, in saxosa sæpe tellure porrecta, plantulas novellas profert quotannis aliquot, proximo tandem anno caulescentes & florigeras. Folia primi anni longe petiolata, ovata vel magis subrotunda, obtusa, integra, glabra, ex glauco virentia, allium olentia. Folia secundi anni caulina ovata vel magis lanceolata, acutiuscula, amplexicaulia, alterna, infima quandoque in petiolum attenuata, cæterum similia prioribus. Caulis teres, glaber, superne subramosus, fubere-ctus, semipedalis vel triplo longior. Racemi terminales & ex summis foliis pauci axillares,

co-

corymbosi, erecti. Petala nivea, calyce duplo longiora, ungue brevi ductata, laminis patentissimis & amplis. Calyx patet. Silicula orbicularis, plana, stylo superstite sæpe instructa, membranacea & subpellucida, semen ut plurimum unicum, rarius duo, includit; nec dehiscit. Crescit in saxosis montosis. Floret Majo & Junio. Tabula plantam sylvestrem majorem exhibet.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA QUARTA.

CERINTHE MINOR. *Linn. syst. pag. 147. Bauh. pin. 258.*
Cerinthe glabra. *Scop. carn. vol. 1. pag. 128.*
Cerinthe quorumdam minor, flavo flore. *Clus. hist. CLXVIII.*

Dum in culta plantæ ætatem indagavi, frequentius annua fuit. Alia erant etiam individua, quæ autumno ex delapsis seminibus enata, hyemem superarunt, proxima æstate flores tulerunt fructusque, & postea interierunt. Vere perennem non vidi. In sylvestribus difficilis fuit indagatio, nec certa. Radix albida est aut fuscescens, & ramosa. Caulis unus alterve teres & ramosus erigitur, aut adscendit. Folia radicalia in petiolum angustata & obverse ovata; caulina amplexicaulia; omnia obtusa, integra, subtus glauca, supra magis virentia maculisque pallidis ut plurimum adspersa, nec unquam ad oras ciliata aut ex inferiore parte pilis aspera. ut exhinc & aliunde austriaca hæc planta ab helvetica Halleriana num. 602 descripta differre omnino videatur. Flores ex pedunculis solitariis & axillaribus, omnes eodem versu, propendent. Rami florigeri paulatim elongantur admodum, cujusmodi a tergo conspectus separatim exhibetur. Calycis pentaphylli persistentis & cum aliqua flavedine ex glauco virentis foliola sunt erecta, acuta, conniventia in tubum oblongum, post corollam delapsam adhuc excrescentia, valde inæqualia; exteriora successive multo latiora & ovata, vel etiam subcordata; interiora lanceolata vel magis oblonga. Petalum totum sine ulla macula flavum, tubulosum, basi & apice constrictius, obsoletissime quinquesulcatum, calyce paulo longius, deciduum, ferme ad mediétatem usque quinquefidum; laciniis ex oblongo lanceolatis, acuminatis, concavis, erectis & ad apicem convergentibus, ut forment conum. Faux nuda & pervia est. Antheræ rigidæ, acuminatæ, basi bifidæ, fere erectæ, dorso infra medietatem filamentis insertæ, longitudine ferme limbi corollæ, luteæ, post pollen explosum fuscæ. Germina duo, apice bifida. Semina duo, ex subrotundo ovata, bidentata, bisulcata, nitida, nigra, bilocularia. Nuclei albi. Tota planta glabra est. Floret totam æstatem. Crescit frequens in agris. Ramus fructiger a dorso depictus additur. Tum calyx expansus, corolla integra, eadem discissa cum staminibus hinc in conspectum prodeuntibus, semen, idemque transversim dissectum. Nimiopere hæc planta discrepat a Cerinthe Linnæi majore, quam quæ uniri in unam speciem cum hac possit.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA QUINTA.

VERBASCUM PHOENICEUM. *Linn. syst. pag. 169. Scop. carn. 1. p. 156.*
Verbascum flore cæruleo vel purpureo. *Bauh. hist. 3. pag. 875.*
Blattaria purpurea. *Bauh. pin. 241.*
Blattaria perennis, flore violaceo. *Moris. hist. 2. pag. 488. s. 5. t. 9. f. 1.*

Radix perennis, ramosa, teres, calami crassitie aut crassior, foris nigrescens, intus albicans, inodora, & saporis pauci nec grati, caulem gignit angulatum, erectum, foliosum, villosum, simplicissimum vel ramis auctum. Racemus caulem ramosque termi-

nec aphyllus, teres, erectus, villosus, fuscus, subviscidus, tandem pedalis vel altior. Pedunculi graciles, vix unciales, pariter pilosi, stipulaque lanceolata & parva fulciti, horizontaliter patent. Calyx ad basin fere usque dividitur in lacinias lanceolatas acutas villosas planas patentissimas & subaequales. Petali rotati & eleganter saturateque violacei purpura vinti laciniae sunt subrotundae, quarum duae superiores labium veluti constituunt superius, tres autem inferiores duplo majores inferius. Filamenta purpurea barbam gerunt concolorem, at tamen superior pars in tribus superioribus simul brevioribus alba fit. Antherae nigrescentes continent pollen fulvum. Stylus purpureus, intra stamina situs, stigma viride habet. Folia sunt oblonga, acutiuscula, obsolete & inaequaliter crenata, obscure pilosa, subrugosula, atrovirentia cum venis saepe purpurascentibus, infima petiolata, reliqua sessilia, summa in bracteas successive minores abeuntia. Rara crescit ad frutices & margines sylvarum. Floret Majo & Junio.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA SEXTA.

HYACINTHUS COMOSUS. *Linn. syst. pag.* 247. *mant.* 366. *Scop. carn.* 1. *pag.* 252.

Hyacinthus. *Gen. ejt.* 798.

Hyacinthus spica longissima; floribus superioribus sterilibus, erectis; inferioribus foecundis, patulis. *Hall. hist. helv. num.* 1247.

Hyacinthus comosus major. *Clus. hist.* 180.

Hyacinthus comosus major purpureus. *Bauh. pin.* 42.

Hyacinthus maximus botryoides, coma caerulea. *Bauh. hist.* 2. *pag.* 574.

Hyacinthus Dioscoridis comosus major. *Lob. ic.* 106.

Bulbus ex ovato subrotundus, albus, ex squamis crebrissime imbricatis carnosis, radiculas ex basi more solito fundit. Folia sunt plura, subsinuata, carinata, erectiuscula, pedalia vel longiora, subacuta. Scapus aphyllus, teres, calamum crassus, pedem vel sesquipedem altus, & ad duas tertias partes florifer, interne interdum punctis purpureo-fuscis variegatus. Pedunculi proprii omnino numerosi, pariter positi, ad apicem densius conservati, semunciales, horizontaliter patentes, egrediuntur singuli veluti e foveola scapi ibidem interposita. Bractearum dumtaxat conspiciuntur rudimenta. Flores sunt duplices. Inferiores & subsequi sordide pallent, seminaque proferunt. Superiores una cum scapi sua parte pedunculisque propriis multo magis hic elongatis eleganter violacei sunt, & steriles. Priorum corollae oblongae sunt, obsolete angulatae, ad apicem magis angulatam amplioremque depressae, ad basin minime ventricosae, ore obscure dentato nigricante parvo & contracto. Filamentis, quae alterna breviora, insident antherae fuscae. In germine ovato & non profunde sexsulcato nullum porum melliferum detegere valeo, nec magis mellaginem intra petalum ullam. Flores steriles destituuntur & pistillo & staminibus. Semina in quolibet loculamento continentur gemina, atra, subrotunda, & parum angulata. Tota planta glabra est & inodora. Crescit abunde in arvis, inter segetes, adspectu speciosa. Floret Majo & Junio. Fructescit Julio & Augusto.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA SEPTIMA.

CARDUUS SERRATULOIDES. *Linn. syst. pag.* 530. *Jacq. vind. pag.* 281.

Carduus calycibus inermibus acutis, foliis utrinque viridibus simus integerrimis inaequaliter ciliatis. *Gmel. sib.* 2. *pag.* 52. *t.* 22. & 23. *f.* 1.

Lin-

Cirsium serratuloides. *Scop. carn. 2. pag. 127.*
Cirsium pannonicum primum pratense. *Clus. hist. CXLVIII.*
Cirsium angustifolium non laciniatum. *Bauh. hist.* 377.

Ex radice perenni, inæquali, brevi, foris fusca, intus albida, fibris longis crassisque aucta, caulis erigitur solitarius, sesquipedalis vel duplo altior, simplex, uniflorus aut in pedunculos paucos elongatos erectosque divisus, striatus, sæpius flexuosus, arachnoideo-lanuginosus, ad dimidiam circiter altitudinem foliosus, cæterum fere aphyllus, & obscure purpurascens. Folia caulina sunt longe lanceolata, semiamplexicaulia, acuminata, erecta, facie virentia pilosa & scabra, dorso arachnoideo-lanuginosa & pallentiora, crassiuscula, obsolete serrulata & ciliata spinulis innocuis, intima obscuriora & obsolete decurrentia, superiora gradatim minora, tandem minima. Radicalia sunt similia, sed versus basin angustiora. Calycis ovati squamæ acutæ, inermes sublanuginosæ, subglutinosæ, & atrovirentes, gibbum in dorso gerunt longitudinalem glandulosum & purpureum. Flosculi purpurascunt. Semina pallida nitidaque coronantur pappo plumoso. Planta culta evadit multicaulis; superne in pedunculos quinque vel sex dispescitur longos, atque hos etiam quandoque divisos; & folia habet majora, maxima novempollicaria, magis denticulata, & inferiora manifestius decurrentia. Cætera persistunt omnia. Crescit in montosis asperis.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA OCTAVA.

MYAGRUM SAXATILE. *Lin. syst. pag. 431. Jacq. vindob.* 257.
Alyssum alpinum. *Scop. carn. 2. pag. 9.*
Alyssum foliis radicalibus scabris, petiolatis, ovatis, dentatis; caule subnudo, flexuoso. *Hall. hist. helv. num.* 490.
Alysson alpinum, foliis circa radicem subovatis, serratis, in orbem circumactis. *Seg. ver. 1. pag.* 378.
Nasturtium saxatile. *Crantz. fasc. p. 14. t. 1. f. 1.*
Thlaspi petræum myagrodes. *Pon. bald. apud Clus. hist. CCCXXXVII.*
Thlaspi tertium, saxatile. *Cam. epit.* 338.
Thlaspi alpinum majus capitulis rotundis. *Bauh. prodr.* 49.
Thlaspi alpinum minus capitulo rotundo. *Bauh. prodr.* 48.
Thlaspi foliis globulariæ affinis, seu Alsinefolia cum myagri foliis. *Bauh. hist. 2. pag.* 926.

Ex radice perenni, fusca longaque folia exsurgunt plurima in orbem posita, obverse lanceolata inque petiolum sensim angustata, obtusa, crassiuscula, punctis brevissime pilosis exasperata, inæqualiter dentata aut incisa, etiam rarius integerrima, circiter uncialia. Caulina sunt magis linearia, superiora integerrima, acuta, & levia. Vere pinnata nulla vidi. Caulis apud nos plerumque unicus, gracilis, glaber, semipedalis vel paulo longior, erectus, subangulatus, subflexuosus, simplicissimus vel ramosus, cum virore purpurascit. Rara tamen individua vidi multicaulia, altiora, & multo ramosiora altioraque. Racemi rari & corymbosi eriguntur, pedunculis propriis tenuibus & semipollicaribus. Calyx ex albo flavescit. Petala sunt nivea, patentissima, calyce duplo longiora, & ungue brevissimo instructa. Filamenta duo longiora, sibi contigua adscendunt recta ad altitudinem fere germinis, hinc vero incurvantur deorsum versus germinis latera, ubi locantur filamenta breviora in arcum inflexa. Filamenta autem bifurcata hisce annis non vidi, an minus recte olim examinata? Germen subrotundum stylo crasso brevi coronatur. Stigma est capitatum & obtusum. Siliculæ subrotundæ, parum compressæ, stylo superstite prælixæ, biloculares, bivalves & glabræ semina parva continent in qualibet locula-

mento circiter dena. Crescit in rupibus alpinis & subalpinis. Floret Majo & sequentibus. In margine pistillum cum staminibus ad microscopium auctum repraesentatur.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA NONA.

NEPETA PANNONICA. *Linn. syst. pag.* 390.
Nepeta paniculata. *Crantz. fasc. pag.* 270.
Nepeta pannonica major & elatior. *Morif. hist.* 3. *pag.* 415. *s.* 11. *t.* 6. *f.* 6.
Mentha montana verticillata. *Bauh. pin.* 227.
Mentastrum montanum primum. *Clus. hist. XXXII.*

Odor toti plantae est fortiter aromaticus & ingratus. Radix perennis, ramosa, lignosa, calami crassitie vel altera, foris fusca, multiceps, extremitates habet obsolete tuberosas vel potius nodosas, qui ex adspectu radicis certe aliquo eliciet. Caules plures eriguntur ad trium quatuorve pedum altitudinem, tetragoni, sulcati, glabriusculi, ex oppositis ramis paniculati, medulla alba cavaque interne obducti. Folia sunt oblonga, obtusa, vix basi cordata, obtuse serrata, glabra; inferiora longius, superiora brevissime petiolata; ad racemos successive minora, tandem omnium minima, ut ibi tunc bracteae credi possent. Racemi axillares & oppositi per dichotomiam contractam flores sustinent circiter vicenos. Bracteae sunt subsetaceae. Calyx est villosiusculus & striatus. Corolla magis minusve rubescit, in cultis plantis multo saturatius, elegantiusque simul punctata evadit. Galea obtusa erecta bifidaque lacinias habet oblongas & planas. Labium inferius, utrinque pilosum, interne ad faucem punctis coeruleis variegatur. Calyx in fructu est ovatus. Semina nigrescunt. Floret imprimis Augusto. Crescit ad radices montium ad sylvarum margines, haud multum obvia. Maxima intercedit hanc inter & Nepetam nudam affinitas, ut, nisi florentes, vix distinguantur. Tum etiam nudae, dum a magis felico recedunt habitu, communem aliquam induunt interdum, quo magis confunduntur. In foliis verum discrimen non detexi. Sed in nuda nunquam observavi ramos adeo virgatos, quales hos semper pannonica habet. In nuda corollas semper inveni immaculatas albas; punctis variegatas, rubellasque ut plurimum, in pannonica. Constantissima diversitas est, eaque facile observabilis, in petali labello inferiore. Hujus lacinia intermedia in Nepeta nuda est semper plana cum lateribus magis minusve reversis; in pannonica autem est perpetuo insigniter concava & faceata.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA.

DORONICUM AUSTRIACUM.
Doronicum septimum, austriacum tertium. *Clus. hist. XIX.*
Doronicum maximum, foliis caulem amplexantibus. *Bauh. pin.* 185.

Radix perennis, teres, inaequalis, subundosa, intorta, duasve tresve uncias longa, tine praemorsa, subhorizontalis, fibris albidis setaceibus longisque copiose vincta, sordide pallens, inodora, saporis subaromatici, nec genti, nec ullo modo scorpioides, ex capite caulem profert, ejusdemque post interitum ultra perumper pergit, atque sic annuatim protrudit alium, plures autem, si in plura similia capita dispescitur. Caulis ipse erigitur ad trium pedum altitudinem, striatus, subangulatus, fistulosus, subvillosus, simplicissimus & uniflorus, aut superne ex alis foliorum ramos unifloros vel paucifloros emittens ab uno ad decem. Folia sunt ovata; infima quandoque late cordata & obtusa, cujusmodi adsunt in margine; denticulata, acuta, venosa, utrinque villosa, mollia, nec tamen crassa,

sa, in individuis majoribus inferiora sæpe novempollicaria, petiolo ampliter auriculato & amplexicauli, in inferioribus angustiore. Caulina summa sunt lanceolata ac sessilia. Flos fere planus & inodorus depicto interdum duplo minor est. Calycis patentissimi foliola a viginti quinque ad quadraginta sunt anguste lanceolato-acuminata, plana, villosa, virentia, subæqualia, corollæ radio duplo breviora, seriei duplicis. Flosculi radii ligulati, elongate ovales, bi- vel trilineares, totidem in denticulos emarginatæ, patentissimæ, tubo prædito brevissimo, numero variæ plus minus triginta. Filamenta habent a duobus ad quinque, capillaria, tubo duplo longiora, antheris destituta. Stylus filiformis pallet cum stigmatibus geminis reflexis luteis. Corollulæ disci infundibuliformes sunt cum limbi quinquefidi laciniis subovatis & patulis. Anthera lutea lineis longitudinalibus quinque fuscis notatur. Pistillum priori simile est. Receptaculum convexum villis albis dense obsidetur. Semina oblonga, teretia, superne paulo latiora, fere decemstriata, hirsutula, sunt in radio nuda; in disco autem coronantur pappo piloso sessili. Crescit ad margines sylvarum subalpinarum. Floret Augusto. In horto culta floret initio Junii. Depingitur in tabula caulis pars superior cum radice. Tum semen in germino volumine papposum; semenque idem, pappo avulso, auctum, sed casu inverse sculptum. Foliorum villositas tenuis est, ut neglecta fuerit in figura. A Doronico Pardalianche diversissima planta est, inprimis foliorum tenuitate & minore hirsutie, quam maxime autem radice, distinguenda.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA PRIMA.

LEPIDIUM PETRÆUM. *Linn. syst. pag.* 433.
Lepidium procumbens. *Gouan. ill. pag.* 40.
Lepidium Linnæi. *Crantz. fasc. pag.* 9. *t.* 2. *f.* 4. & 5.
Nasturtium foliis pinnatis; radicalibus ovatis, lanceolatis; caulinis linearibus. *Hall. hist. helv. num.* 515.
Nasturtium pumilum vernum. *Bauh. pin.* 105.
Cardamine pusilla saxatilis montana discoides. *Col. ecphr.* 1. *pag.* 274. *t.* 273.

Plantula tota glabriuscula est. Radix annua fibrosa albidaque caulem promit unicum rarissime, plerumque autem plures sive caulem in ipsa basi ramose divisum, ex viridi purpurascentes, teretes, ab una ad quatuor uncias altos, laterales sæpe dejectos & veluti procumbentes, frequenter parum ramosos. Folia sunt, tam radicalia omnia quam caulina & ramea, pinnata, atrovirentia, sapore prædita congenerum non forti; foliolis ellipticis, utrinque acuminatis, integerrimis, crassulis, subpetiolatis, a paribus sex ad duodecim cum terminante impari. Rami & cauliculi abeunt in corymbos densos, in racemos longiores denique productos. Flores sunt exigui. Calycis patentissimi foliola sunt subovata, obtusiuscula, admodum concava, virentia cum margine tenuiore albo purpureove. Petala æque patentia, longitudine etiam calycis, eodemque angustiora, alba, plana, spathulata, sæpius integerrima, interdum sunt obsoletius emarginata. Filamenta sex, pallida, parulaque corollam ferme æquant. Antheræ ex luteo sordent, explosæ fuscescunt. Germen ovatum parum compressum. Stylus vix adest ullus. Stigma obtusum marginem habet ciliatum. Silicula læte ovata, horizontalis, obtusa, subtus convexa, & supra plana, in valvulas aperitur carinatas, utrinque semina includens gemina aurantiaca & læte ovata. Crescit in collibus saxosis, & sylvis cæduis montanis. Florere incipit sub finem Martii. Majo semina sunt matura. Tabula repræsentat quatuor variantes plantulas, quarum una semine est maturo prægnans; dein florem auctum. Planta, ipso illustri Linnæo ante plures annos in litteris annuente, Lepidium ipsius petræum est; quare sub hoc titulo proposui, etiamsi minus in hanc descriptio plantulæ, caulem possidere digiti longitudine absque ramis dictæ in itinere Oelandico, cadat. Petræum hoc cum procumbente Lin-

nauno clarissimus Gouan conjungit; sed procumbenti suo Linnæus in Mantissa pagina 424 tribuit folia, a nostro Lepidio aliena.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA SECUNDA.

RESEDA PHYTEUMA. *Linn. syst. pag.* 330. *Scop. carn.* 1. *pag.* 332.

Reseda foliis radicalibus integris, caulinis integris & semitrilobis, calycibus sexfidis, florem superantibus. *Hall. hist. helv. num.* 1057.

Reseda minor vulgaris. & Reseda minor vulgaris, folio minus inciso. & Reseda minor vulgaris, foliis integris. *Tourn. inst. pag.* 423.

Resedæ affinis Phyteuma. *Bauh. pin.* 100. *prodr.* 42.

Phyteuma Monspeliensium. *Lob. ic.* 718. *Bauh. hist.* 3. *pag.* 386.

Erucago apula trifida & quinquefolia. *Col. ecphr.* 267. t. 269.

Radix annua, ramosa, subalbida, calamum crassa, & levissimo armoraciæ sapore donata, caules producit plures, adscendentes, ramosos, palmares, vel pedales, striato-angulatos, & valde parum villosos. Folia sunt obverse lanceolata, glabra, obtusissima, basi veluti attenuata in petiolum, alterna, aut integerrima omnia, aut in aliis individuis pauca simul magis minusve biloba aut triloba, cujusmodi folia in margine exhibentur. Rami terminantur in racemos erectos. Bracteæ sunt setaceæ. Pedunculi patent. Flores suaveolentiam aliquam habent. Calyx in flore se explicante corollam haud superat admodum, sed illaco excrescere pergit in maximum. Constat foliolis senis, oblongis vel ellipticis, obtusis, planis, glabris, persistentibus. Petala sunt quatuor, nivea, subrotunda, exigua, sessilia, dentato-emarginata, in arcum flexa & concava; quorum duo superiora abeunt in cornu bifidum erectum divisumque in lacinias subulatas acutas numeroque varias; lateralia duo minora emittunt cornu simile, sed simplex, nec bifidum. Inter petala suprema & genitalia locatur planities pallide virens. Filamenta circiter duodena coloris sunt carnei. Antheræ flavent. Germen ovatum sulcatumque in tres brevissimos desinit stylos. Capsula glabra, magna, ovata, sexangularis, tumida, & pendula, hiat ore tridentato. Semina ovato augreste me cum hilo pallido. Crescit in arvis. Floret æstate. Tabula ad marginem sistit folia variantia; floremque auctum.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA TERTIA.

LYTHRUM HYSSOPIFOLIA. *Linn. syst. pag.* 329. *mant.* 392. *Scop. carn.* 1. *pag.* 330.

Hyssopifolia. *Bauh. pin.* 218.

Hyssopifolia aquatica. *Bauh. hist.* 3. *post* 780.

Salicaria foliis linearibus, floribus per alas sessilibus. *Hall. hist. helv. num.* 855. *ad Rupp. jen. p.* 147. t. 6. f. 3.

Lysimachia rubra minima. *Clus. hist. LIII?*

Annua & fibrosa radix caulem promit, jam ab ipso sæpe exortu ramosum, ut tunc plures multicaulis videatur, cæterum superne simplicissimum, basi teretem rubrum & procumbentem magis magisque, hinc adscendentem. Rami similes. Folia totam obsident plantam, inordinate alternantia, ex lanceolato oblonga, acuta, integerrima, subsessilia, ferme venis destituta, pollicaris, parula, mensa mucilaginosa. Flores solitarii, quandoque gemini, in alis foliorum locantur subsessiles. Calyx infundibuliformis & striatus patet margine decem- vel duodecimdentato: denticulis alternis lanceolatis & acutis; alternis

alii,

alis subrotundis cum parvo acumine & brevissimis. Calyces fructiferi caulibus appropinquant. Petala ovalia purpurea & plana adsunt quina vel sena. Filamenta ex imo calyce oriuntur sex albida, ejusdem ordinis; nec alia superiora adsunt. Antheræ flavent. Stigma est capitatum. Capsula oblonga, obtusa, tetragona, rorulosa, & bilocularis, ita calycem replet, ut nequeat eximi. Semina ovata, minuta, angulata, nitida, plurima, & obscure flavescentia disponuntur in quolibet loculamento duplici serie, sed nullo inter se distincta dissepimento. Tota planta glabra est. Crescit ad scrobes. Floret Julio & Augusto, semina perficiens Octobri.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA QUARTA.

INULA GERMANICA. *Linn. syst. pag.* 558.

Aster thuringiacus altissimus latifolius montanus, flore luteo parvo. *Hall. ad Rupp. jen.* 181.

Aster foliis lanceolatis amplexicaulibus, oris reflexis, ramis multifloris, calycibus oblongis laxis. *Gmel. sib.* 2. *p.* 181. *t.* 75. *f.* 1.

Conyza affinis Germanica. *Bauh. pin.* 266. *Morr. hist.* 3. *t.* 7. *t.* 19. *f.* 16.

Conyzæ affinis herba vulneraria, sive Solidago saracenica teste Trago, hirsuta. *Bauh. hist.* 2. *pag.* 1051.

Eupatorium germanicum vulnerarium foliis crenatis, flore luteo. *Moris. hist.* 3. *p.* 99.

Radix perennis, lignosa, teres, stipulis instructa lanceolatis, & saporis ingrati, longe per superficiem telluris serpit, hic illic in terram fibrillas agens, & ex apice sub angulum rectum attollens caulem plerumque unicum, pedalem, simplicem, erectum, teretem, annuum, sublanuginosum, & superne ex alis ultimorum foliorum ramosum ibique flores fasciculatos gerentem. Folia sunt ex lanceolato oblonga, acutiuscula cum mucrone, semiamplexicaulia, scabriuscula, minutissime mariterque denticulata, alterna, inferiora velut glabra, omnia autem ad microscopium pilis utrinque albidis arachnoideis appressis dense vestita, nec aliter recurva quam ad oras reflexa. Calyx cylindricus constat squamis duplicibus. Exteriores sunt plurimæ, lanceolatæ, acutæ, erectæ cum apice recurvato, intra hunc puncto nigricante insignitæ, pallide virentes, subvillosæ, imbricatæ, diversæ altitudinis, infimæ majores, nec laxæ. Squamæ intimæ sunt lineares, acutæ, nitidæ, totæ erectæ, submembranaceæ, paleisque similes. Flosculi sunt lutei. Fœmineorum radiis ligulæ oblongæ, acutæ, & bi- aut tridentatæ. Stigmata longe patent. Hermaphroditas corollæ limbus est quinquefidus, acutus & erectus. Antheræ quinque in cylindrum coalescentur superne quinquedentatum, basi in decem setas exeuntem. Semina flosculorum omnium pappo coronantur simplice, sessili, quintuplo longiori. Receptaculum est conicum, punctatum & nudum. Rara crescit in fruticosis montosis asperis. Floret Julio. Perficit semina Septembri.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA QUINTA.

GENTIANA ACAULIS. *Linn. syst. p.* 299. *Scop. carn.* 1. *pag.* 180.

Gentiana foliis lanceolatis, caule unifloro; flore maximo campaniformi. *Hall. hist. helv. num.* 641.

Gentiana quinta, sive Gentianella major verna. *Clus. hist.* 314.

Gentiana alpina minima. *Gesn. num.* 86. *tab.* 27.

Gentiana alpina magno flore. *Bauh. hist.* 3. *p.* 523.

Gentianella helvetica. *Job. ic. 310.*
Gentianella alpina magno flore latifolia & angustifolia. *Boub. phs. 287.*

Ex radice amara, perenni, cum flavedine subrubescente, & per aetatem multicipite, rosulæ egrediuntur foliorum lanceolatorum, acutorum, integerrimorum, sessilium, crassorum, lævorum, glabrorumque; ex quorum centro caulis assurgit angulatus, compressus, simplicissimus, uniflorus, ornatus foliis oppositis paucissimis sessilibus summis concavis, unam alteramve unciam longus, sæpe vix ullus, quandoque reclinatus. Flos terminalis, erectus, sessilis, inodorus, speciosus, ratione plantulæ maximus. Calyx atrovirens, subcampanulatus, glaber, quinquangulatus, semiquinquefidus: laciniis lanceolatis acuminatis, erectis. Corolla saturatissime cærulea, ex infundibuliformi campanulata, interne infra medium pallidior & ex cyaneo punctata, limbo quinquefido patente, laciniis brevibus, latis, acutis, distantibus. Pistillum, uti in sequente pannonica. Filamenta pallent. Antheræ luteæ coalescunt in explosione pollinis. Capsula fusiformis plurima continet semina parva & inæqualia. Crescit in summis alpibus, ubi floret initio Augusti. Exhibui in tabula cum plantam caulescentem, tum acaulem; capsulam maturam, & semen.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA SEXTA.

GENTIANA PANNONICA. *Scop. carn. 2. pag. 182.*
Gentiana punctata. *Jacq. obs. bot. 2. p. 17. tab. 39.*
Gentiana major purpureo flore prima. *Clus. hist. 312. Barr. ic. 64.*

Dubitanter in Enumeratione Stirpium Vindobonensium Gentianam hanc, speciosum alpium nostratum ornamentum, proposueram, ac si ad Gentianam purpuream Linnæi pertinuisset, cujus temporis nulla quoque. Postea ad punctatam retuleram, vix magis certus, celeberrimi Linnæi conjectura ductus. Nunc sequor clarissimum Scopoli, qui novam in altera Floræ Carniolicæ editione pronunciavit. Possideo jam Hallerianæ plantæ num. 638 specimina, ab ipso illustri viro communicata. Habeo, & vidi vivam Gentianam majorem pallido flore punctis distincto ex montibus Silesiacis, cujus noster Clusius meminit loco citato, a Crantzio sibi transmissam. Vidi eandem recentem ex alpibus Carpaticis ab amicissimo Francisco Josepho Lipp adlatam; eam missam ex Tyroli. Atque examinatas invenio Helveticam, Tyrolensem, Silesiacam Carpaticamque plantam unam eandemque esse, corolla sexfida in omnibus meis speciminibus gaudentes; calyce ad mentem Linnæi non spathaceo, sed, qualis in pannonica est, diviso sexfidoque, a Gentiana purpurea diversas; quas a pannonica distinguo corolla, quam in hac, minore & ex luteo pallente. Nunquam hoc colore apud nos planta est, quæ frequentissime tamen alpes incolit. An nostrati concolor in aliis regionibus visa fuit? Nostræ plantæ caulis glaber nitidusque semipedalis, vel bipedalis, teres, etiam subangulatus, erectus, digitumque basi crassus, recte assurgit ex radicis perennis capite, quo folia præteriti anni caput vel gemmam novam foverant. Illa, pro ætate varie crassa, horizontaliter solet sub terra procedere, vel etiam oblique descendere, simplicissima longaque aut in crura pauca divisa, foris flavescens, intus albicans, saporis intense amari. Basin caulis vestiunt squamæ vaginantes, ore bifido tridove. Folia sunt opposita. Ima ovata vel lanceolata (latitudine enim admodum ludunt,) acuta, integerrima, læte virentia, subplicata, quinque nervis in dorso eminentibus pallidisque munita, attenuata veluti in petiolos connatos, superiora magis sessilia. Flores brevissime pedunculati axillis insident utrinque terni, quaterni vel quini, rarius plures, & verticillos formant, fulcitos bracteis foliorum similibus. Verticillus summus terminalis e floribus numerosioribus componi solet; & est hic in plantis minoribus sæpe solus. Cæteroquin duo vel tres verticilli caulem decorant. Calyx campanulatus, laxus, tenuis, cum virore pallens, obsolete hexagonus, circa medietatem in lacinias divi-

di-

diter ut plurimum totidem, quot sunt laciniæ corollæ, deficientes tamen nonnunquam aliquas, lanceolatas, acutas, patentes, oppositas duas majores, distantes, ut sinus interjecti sint plani. Corollæ magnæ & elegantis tubus ad basin ipsam teres, hinc in infundibuliformem figuram angulatamque assurgit ad altitudinem usque calycis; hic campanulatus evadit, moxque in lacinias sex vel septem, nunquam a me visas quinque, dispescitur, quæ sunt subrotundæ, obtusissimæ, erectæ, & origine distantes, partibus intermediis introrsum productis in plicam. Basis corollæ exterior & totus tubus internus cum aliqua flavedine pallent. Reliqua corolla atropurpurea est. Tota utrinque punctis atropurpureis saturatissimis variegatur. Stamina numerum laciniarum sæpe sequuntur. Antheræ longæ sulphureo sunt colore. Germen est compressum, elongate lanceolatum, basique quadridentatum. Semina compressa. Crescit in subalpinis & alpinis. Flores Augusto & Septembri. Semina maturescunt Octobri. Adstant in margine seorsim calyx, semen, capsula & pars corollæ interne spectatæ.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA SEPTIMA.

LEPIDIUM ALPINUM. *Linn. syst. pag. 433. Jacq. vindob. pag. 258.*
Lepidium Halleri. *Crantz fasc. pag. 8. t. 1. f. 13.*
Lepidium foliis pinnatis; pinnis ovatis, æqualibus. *Hall. hist. helv. num. 516.*
Draba Nasturtiolum. *Scop. carn. 2. pag. 8.*
Cardamine alpina tertia minima. *Clus. hist. CXXVIII.*
Nasturtiolum tenuissime divisum. *Bauh. hist. 2. pag. 918. Bauh. pin. 105.*

Radix albicans, tenuis, perennis, fibrillis aucta, simplex aut rarius divisa, sæpe profunde inter saxa penetrat, ætate multiceps, totidemque cæspitose cauliculos producit. Hi brevissimi, dense & frondose foliis alternis vestiti, scapum emittunt teretem, nudum, erectum, unam alteramve unciam altum, sustinentem flores corymbose racemosos. Folia sunt crassa, virentia; primo prodeuntia simplicia, ex ovato subrotunda, & ampliora; subsequa trifida, terminali majore; reliqua pinnata e duobus vel tribus paribus cum impari frequenter paulo majore: pinnulis integerrimis, lanceolatis, & ex ipsa continuata dilatataque costæ substantia ortis. Calycis foliola oblongiuscula valde patent. Petala lactea integerrima latâque ampla sunt. Stamina perpetuo adsunt sex tetradynama. Germen est ovato-oblongum. Stylus brevis coronatur stigmate obtuso & crassiusculo. Silicula ovata vel lanceolata compressaque acuminatur stylo brevi obtusoque, valvulas habet naviculares, & semina continet pauca. Tota plantula glabra est, & nasturtii prædita sapore. Crescit frequens in summis alpium jugis saxosis & udis, ubi pro varia nivis solutione floret a Majo ad Augustum. Adduntur in tabula capsula matura & semen.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA OCTAVA.

ORCHIS ORNITHIS.

Alpina raraque planta pro radice habet bulbos geminos, integros, oblongos, albidosque. Caulis semipedalis, foliosus, teres, supraque folia striatus, erigitur. Folia inferiora sunt sublinearia, acutiuscula, virentia, immaculata; superiora magis lanceolata, orta ex vagina caulem sub folii dorso reddente angulatum; omnino ut plurimum quatuor. Bracteæ sunt lanceolatæ, acuminatæ, pallide virentes, florum circiter longitudine, superiores paulatim breviores. Floribus odor est Orchidis odoratissimæ, at debilior. Germen intortum viret. Corolla tota albet. Petala duo exteriora lanceolata plana & reliquis longio-

ra stricte patent, utrumque ad latus reflexa, ut alas volantis aviculæ referant, unde triviale desumpsi nomen. Tria interiora ovata, obtusa, concava, erectaque in cucullum conniveant; estque horum supremum paulo reliquis latius. Cornu nectarii tenue subulatumque incurveatur & ultra germen descendit ad duplum. Labellum propendet subrotundum, mediocrum, planum, obtusum, margine trilobo. Cucullus subrotundus & bilocularis continet antheras obverse ovatas & sulphureas. Filamenta subulata albent. Floret Augusto.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA NONA.

PEDICULARIS spica FOLIOSA. *Hall. hist. helv. num.* 317. *t.* 9. *f.* 1. *Linn. syst. pag.* 407. *Jacq. vind. pag.* 252. *num.* 52. *Crantz. fasc. pag.* 313. *Scop. carn.* 1. *pag.* 440. *num.* 765.
Pedicularis alpina, filicis folio major. *Bauh. pin.* 163. *Seg. ver.* 2. *pag.* 123.
Pedicularis alpina flore luteo, radice nigra. *Bauh. hist.* 3 *pag.* 438.
Pedicularis major Dalechampii. *Bauh. hist.* 3. *pag.* 438.

Radix teres, intus albicans, foris sordide pallens aut magis fusca, insipida, vix digiti minimi crassitie, semipedalis, infra medium bifariam vel trifariam divisa, fibris simplicissima, perennat. Caulis simplicissimus, teres, erectus, pedalis, vel altior, calamum crassus, parumper sulcatus, modo glaberrimus, modo pilis raris adspersus; quandoque plures. Folia radicalia sunt longe petiolata, subbipinnata, pauca, sæpius bina. Pinnulæ scilicet confluunt basibus suis; ceterum alternæ, argute inciso-serratæ, dorso subpilosæ, ad oras leviter revolutæ. Costa primaria vel nuda est, vel pinnulas simplices, numero & situ varias, interjectas habet. Caulem infra spicam omnino paucissima folia decorant, sæpe duntaxat unicum alterumve. Cum hæc, tum spicæ infima, simili prioribus figura gaudent, solummodo minora. Quæ sequuntur, illa sunt simpliciter pinnata ex pinnulis oblongis; quæ successive magis confluentes in superioribus, summa mere pinnatifida reddunt. Hæc longiora ultra flores eminent, pressissimeque exorta, dum ex singulorum ala flos subsessilis egreditur, omnino viceni vel triceni, spicam densam speciosamque efformant. Petioli etiam interdum raris pilis sunt ciliati. Calyx est subventricosus; pentagonus, ut unus angulus superne habeatur, sint inferne quatuor; angulis hirsutis; ore lanato, quinquedentato, ferme æquali. Corolla ochroleuca, uncialis. Galea oblonga, obtusissima, foris hirsuta, integra. Labii inferioris discus est bigibbosus; laciniæ tres, subrotundæ, planæ, integræ, & subæquales. Filamenta superne hirsutiem habent. Styli apex galeam superat. Semina sunt angulata. Crescit passim in herbidis subalpinis alpinisque, locis magis depressis, ubi pro vario soli altitudine flores a Majo ad Augustum.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA.

PEDICULARIS INCARNATA. *Linn. syst. pag.* 407.
Pedicularis rostrato-spicata. *Crantz. fasc. pag.* 317.
Pedicularis foliis pinnatis, pinnis longe dentatis; floribus rostratis spicatis; calycibus tomentosis. *Hall. hist. helv. num.* 319.
Pedicularis foliis alternis, pinnis semipinnatis, floribus laxe & longissime spicatis. *Allion. pedem.* 1. *pag.* 54. *t.* 12. *f.* 2.
Pedicularis alpina purpurea strigosior, spica oblonga incana, floribus alternatis & per intervalla positis. *Burs. apud Linn. amoen. acad.* 1. *pag.* 153.

Ra-

Radix lignosa foris nigricans & perennis fibrillas teretes longas albidasque emittit. Folia sunt petiolata, pinnata, glabra, caulina alternantia: pinnis oblongis & pinnatifide divisis in lacinias obtusiusculas, in majoribus foliis ad apicem denticulatas. Summae pinnae confluunt. Caulis unicus alterve, teres, nitidus, superne purpurascens, & pedalis vel brevior, erigitur, in spicam desinens rarum aphyllam & longam. Bracteae sunt profunde trifidae plerumque, & lineares. Flores inodori, inferiores magis distantes & pedunculati, superiores sessiles. Calyx atropurpureus, oblongus, subventricosus, striatus, quinquedentatus: denticulis lanceolato-acuminatis. Villus lanuginosus albidus magis minusve obsidet ipsius caulis partem florentem, bracteas, & calycis strias atque limbum. Haec autem quandoque lanugo tenuis est, ut, nisi proxime oculis planta admoveatur, aegre appareat. Corollae ex purpureo rubescentis & glabrae tubus subcylindraceus est. Galea compressa erectaque in rostrum excurrit obtusum, subulatum, longum, ad angulum rectum inflexum, ad verticemque parum fuscescens. Labium inferius amplum, & semitrifidum, saepissime verticaliter vertitur totum, ut laciniae laterales sursum deorsumque spectent. Lacinia intermedia concava multo minor est lateralibus planis, quibus ad invicem accedentibus ferme tegitur. Filamenta carneo sunt colore. Antherae ovatae basique bifidae in lateribus compressis pallent; in aliis nigrescunt. Stylus saturata purpura tingitur. Capsula ovata, compressa imprimis superne, glabra, parte antica magis rectilineari, unde subobliqua, continet semina circiter duodena, rufa, lanceolata, acuta, & angulata; quae maturescunt Septembri, dum planta floret Julio. Crescit in alpium declivibus herbidis. Capsula & semen etiam seorsim delineantur.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA PRIMA.

ALLIUM FLAVUM. *Linn. syst. pag.* 239. *mant.* 363.

Allium foliis teretibus, vagina bicorni, umbella lutea pendula. *Hall. opusc. de allion.* 24.

Allii montani quarti species prima. *Clus. hist.* 194.

Allium junccifolium bicorne luteum. *Rudb. el.* 2. *pag.* 157. *f.* 6.

Allium montanum bicorne flore pallido odoro. *Bauh. pin.* 75.

Bulbus simplex, ovatus, intus albus, levissimi cepae odoris & saporis, externe tunicis emarcidis fuscescentibus tenuibusque vestitur, eoque in latere superiore novum bulbillum generat. Caulis teres, solidus, tenuis, erectiusculus, & aequalis, ad pedalem vel duplo majorem altitudinem attollitur. Folia radicalia & caulina sunt teretia, gracilia, acuta, viridia, caule plerumque breviora, basi vaginantia, ante florescentiam semper jam emarcida infuscataque ac saepe deperdita, idque in culta aeque ac sylvestri, vagina striata. Spatha diphylla fit ex foliolis ex basi latiuscula & membranacea in cornu gracile abeuntibus, a tribus ad novem uncias longis, patentissimis aut reflexis. Umbellam laxam pedunculi formant plures, flavescentes, in ipsa florescentia penduli, in fructescentia erecti. Bulbilli in umbella adsunt nulli. Flos est obsolete triangularis & campanulatus. Petala erecta, oblonga, obtusissima, concava, & flava cum obsoleta lineola media virente. Filamenta pallida, simplicia, filiformia, erecta, & antheris gravida luteis, corollam ad duplam longitudinem superant. Stylus eandem corolla duplo longior evadit. Capsula pallida continet semina atra. Sub dio flores vix odorem habent; in aedes vero illati asservatique suaveolentiam adipiscuntur insignem; ut, dum florere planta incipit, una cum bulbo evulsa, & aquae imposita, per tres etiam hebdomadas florere atque odorem spargere pergat. Ad marginem exhibetur umbella in fructu. In montibus asperis saxosis & apricis crescit, florens Julio & Augusto, semina ferens Septembri.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA SECUNDA.

TORDYLIUM MAXIMUM. *Linn. syst. pag.* 204. *Scop. carn.* 2. *pag.* 195. *Crantz. fasc.* 153. *Tourn. inst.* 320.
Tordylium. *Riv. pent. irr. tab.* 1.
Caucalis major. *Clus. hist.* CCII. *Bauh. hist.* 3. *part.* 2. *pag.* 85.
Caucalis maxima, sphondylii aculeato semine. *Bauh. pin.* 152.
Seseli creticum majus. *Bauh. pin.* 161.
Seseli creticum sive Tordylion majus. *Lob. ic.* 737.

Semina, in horto suo primo vere, producunt plantas, quæ eodem anno florent, sed tarde, Octobri scilicet aut Novembri; fructum vero vix ad maturitatem perficere valent. Sylvestres plantæ jam Julio atque Augusto flores gerunt, fructus maturos Septembri; ut suspicor, has bisemnales esse, eorundem semina autumno germinare. Post absolutam fructificationem omnes pereunt. Radix semipedalis vel longior, ramosa, sublignosa, rubro crassior, albicans, & sapore præditum tandem subacri, caulem gignit teretem, striato-sulcatum, fistulosum, ad nodos interceptum ad nodos, erectum, a duobus ad quatuor pedes altum, versus basin pilis reflexis hispidum, caeterum una cum ramis scabrum. Folia sunt pinnata cum terminante impari, utrinque villosa & magis minusve scabra. In radicalibus foliola sunt utrinque tria vel quattuor, sessilia, subovata, inæqualiter serrato-crenata, obtusissima, extremo majore & ad basin attenuato. In caulinis vagina petiolaris est brevis; costa hispidula, antice sulcata, dorso striata; pinnæ utrinque tres vel geminæ, subovatæ in inferioribus, lanceolatæ in superioribus, serrato-incisæ, extrema multo longiore. Radii striati, plus minus deni, constituunt umbellam universalem erectam, planam, nec amplam, cui subjiciuntur involucri foliola a quinque ad decem, angusta, acuminata, & striata. Umbellulæ partiales planæ ac densæ suffulciuntur foliolis plerumque senis, priorum fere similibus, interioribus brevioribus. Calycis proprii denticuli duo exteriores magis elongantur. Germen pilis albidis hirsutum viret. Petala ante expansionem purpurascunt, post illam ex ochroleuco albent. Extimorum flosculorum petalum extimum est maximum & profundissime bifidum; laciniis obversè ovatis, obtusissimis, planissimis & patentibus. Petalum laterale alterutrum vel utrumque laciniam priori petalo proximam etiam talem sed paulo minorem habet, dum altera est lacinia brevissima oblonga & reflexa. Inque hujusmodi lacinias geminas dividuntur petala duo reliqua, ante divisionis locum erecta. Semina sunt suborbicularia, quandoque paulo magis oblonga, compresso-plana, inodora, saporis pauci & ingrati, hinc æqualia, illinc margine conspicuo albido & undulato cum nucleo fusco subaspero & lineato. Crescit in montosis asperis suffruticosis. Ad marginem depingitur folium radicale: semen utrinque conspectum; & radius flos.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA TERTIA.

SESELI HIPPOMARATHRUM. *Linn. syst. pag.* 215. *Jacq. vindob. pag.* 224. *Scop. carn.* 1. *pag.* 214.
Seseli articulatum. *Crantz. fasc.* p. 105. *tab.* 5. *f.* 1. & 2.
Hippomarathrum. *Riv. pent. irr. tab.* 66. *Kram. cl. p.* 82.
Saxifraga pannonica. *Clus. hist.* CXCVI.

Tota planta glaberrima est. Radix longa, lenta, ramosa, digiti minimi crassitie, intus albicans, externe fordide cum aliqua flavedine pallens, & perennis, superne dividitur in plura capita a foliorum præteritorum reliquiis capillata, totidemque caules emittit; sapore prædita primo subdulci, postea acredine sua per totum os se manifestante. Caules sunt graciles, erecti magis minusve, dimidium vel sesquipedem alti, teretes, tenuissime li-

lineati, glauci, in principio simplicissimi, postea plerumque ramulis patulis ex axillis foliorum auctis, medulla candida repleti, & firmi. Folia radicalia & caulina ex glauco virentia, saporis ingrati & nauseosi, & tetra odorem, oriuntur ex vagina longa, ad oras membranacea & albicante, atque arcte amplexicauli. Illa sunt a duabus ad quinque uncias longa ac tripinnata: foliolis ultimis sublinearibus, crassiusculis, planiusculis, acutis, & integerrimis. Costa universalis teres cum sulco antice inscripto, costæque laterales, omnes oppositæ cum terminante impari, ad divisiones lineo notantur transversa magis pallente, suntque ibidem subarticulatæ. Folia caulina infima in plantis lætiori solo crescentibus cum radicalibus quidem similitudinem habent; superiora autem in his, & in individuis sali aridioris folia caulina omnia, præter foliolum simpliciter pinnatum, aut etiam simplex acumeo, vaginæ impositum, nullam aliam divisionem habent. Umbella universalis plerumque fit e radiis novem aut decem, vix pollicaribus, inæqualibus, fulfultis involucro nullo, rarissime unifolio. Partialis densa est, brevissima, parva, convexula, ex flosculis circiter quindecim. Involucrum partiale monophyllum & pelviforme margine gaudet multidentato, umbellula breviori. Petala sunt ovato-acuminata cum acumine inflexo & propter oras reflexas postice sulcato, parvula, albida. Antheræ pallent. Fructus subovatus & ex fusco pallens secedit in duo semina oblonga vel ovata, obtusissima & veluti truncata vel acuta, hinc plana, illinc quinque costis exstantibus sulcata, inodora & insipida. Flores profert mense Julio & Augusto. Semina perficit Septembri. Adstant in nativa magnitudine radius cum involucro, seminisque tres varietates; aucta vero seminis transversa sectio & flos.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA QUARTA.

SESELI GLAUCUM. *Linn. syst. pag.* 215. *Scop. carn.* 1. *pag.* 214.
Seseli osseum. *Crantz. fasc.* 207.

Stirps est biennis, eæque glabra nitidissima & glauca. Radix cum quadam flavedine pallet, fusiformis, vix minimum digitum crassa, sæpe ramosa, semipedalis, capillata, odore prædita dauci aliquo, sapore simili cum juncta acredine. Caulis solitarius, a duobus ad quatuor pedes altus, valde ramosus, geniculatus, teres, æqualis, firmus, alba medulla farctus, colorem habet ex glauco stramineum, quandoque purpurascentem. Rami pauci subdividuntur. Folia radicalia sunt bipinnata vel subtripinnata; superiora pinnata, dein ternata, tandem simplicia. Petioli communes membranacei canaliculati, lineati; reliqui subteretes, solidi, & ad divisiones callulo transverso pallente instructi. Pinnulæ sunt lineares, angustæ, acutæ, subcanaliculatæ, plures etiam planissimæ, longæ. Involucrum universale desideratur. Partiale foliola habet setacea parva circiter octona. Umbella universalis convexula rara & inæqualis. Partialis hemisphærica densiorque. Receptaculum rad. etiam callosum pallet. Petala albent, æqualia, ovata, patentissima, apicem inflectentia quidem, parum tamen hinc cordata. Filamenta petalis duplo longiora sustinent antheras pallidas. Flosculi omnes fertiles semina proferunt ovata, hinc plana, illinc convexa, haud profunde quinquesulcata, inodora & saporis nullius. Crescit in saxosis herbidisque siccioribus. Floret Julio & Augusto. Semina perficiuntur Septembri. Tabula sistit plantæ summam partem, radicem cum caulis parte infima, folium quoddam ex inferioribus, semen utrinque visum; tandem aucta florem, semen, ejusque dissecti transversam faciem.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA QUINTA.

LASERPITIUM SILER. *Linn. syst. pag.* 210. *Scop. carn.* 1. *pag.* 196.
Laserpitium foliis duplicato-pinnatis; pinnulis integerrimis, lanceolatis, simplicibus & ternatis. *Hall. hist. helv. num.* 794.

Siler montanum. *Crantz. fasc. pag. 185. Clus. hist. CXCV. Dod. pempt. 2. l. 5. c. 15. Moris. hist. 3. p. 276. s. 9. t. 3. f. 1.*

Ligusticum, quod Seseli officinarum. *Bauh. pin. 161.*

Radix perennis capite gerit crassum, priorum foliorum reliquiis setosis plurimis coronatum, pollicis vel digiti atque etiam majore crassitie, sesquipedalis, teres, simplex aut in crura divisa, cortice fusco & inaequali vestitus, intus subcarnosus albusque cum medulla flavescente, praedita odore opii aliquo, sapore in principio quidem [illegible] gratoque, et levi amaricante ingrato & exsiccante. Planta tota glabra est. Caulis brachiatus, teres, lineatus aut sulcatus, pallide virens aut purpurascens, in pratis subalpinis unum alterumve pedem altus, cujusmodi tabula exhibet, in montosis demissis altior, etiam sexpedalis. Magnitudinem plantae folia sequuntur, in majoribus circumscriptione amplissima, secus in minoribus individuis. Sunt vero multiplicato-pinnata, trita odorata, sapore subaromatico, vix acri, nec gravi. Costae sunt compressae, imprimis inferiores, tenuissime lineatae, [illegible] particulares oppositae. Vaginae amplae, tumidae, membranaceae, tenues, lineatae, pallide virentes, & amplexicaules. Pinnulae sunt anguste lanceolatae, magis minusve acutae, integerrimae, planae, utrinque ex glauco virentes, subpetiolatae, plurimae ternatae, confluentes. Involucrum universale fit ex foliolis decem aut pluribus, brevibus, lanceolatis vel ovatis, acutis, concavis, patentibus cum viore dorsali, patentibus aut reflexis. Particulare simile est, sed minus. Umbella universalis convexa & a quatuor ad octo uncias diametro aequans constat radiis subteretibus, dorso glabris, supra striatis & asperiusculis, vicenis vel pluribus. Petala sunt alba, subaequalia, propter apicem inflexum cordata, parvissima, lata. Filamenta alba, patula, petalis longiora. Antherae albidae. Flosculi in umbellis rameis plerique, saepe omnino omnes, abortant; in umbellae caulinae umbellulis fere singulis pauci; qui semper germine destituuntur. Fructus oblongus subteres [illegible] subsessilit. Semina etiam oblonga, hinc plana & striata, inde convexa & donata alis quatuor membranaceis angustis, quas inter lineae elevatae decurrunt, odorem habent cumini fortem, saporemque ejusdem aromaticum, subacrem, & amarum. Florent Julio & Augusto. Semina maturescunt Septembri. Sistuntur ad marginem foliorum variantium partes; cum seminis variantia, utrinque spectata; eadem aucta flos & seminis transversa sectio.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA SEXTA.

LASERPITIUM LATIFOLIUM. *Linn. syst. pag. 209. Scop. carn. 1. p. 195. Gouan. ill. pag. 13.*

Laserpitium glabrum. *Crantz. fasc. pag. 181.*

Laserpitium asperum. *Crantz. fasc. pag. 179. t. 1. f. 2.*

Laserpitium. *Riv. pent. irr. tab. 21.*

Laserpitium foliis cordatis, inciso-serratis. *Hall hist. helv. num. 792.*

Seseli aethiopicum Matthioli. *Clus. hist. CXCIV.*

Seseli aethiopicum herba. *Dod. pempt. 2. l. 5. c. 18.*

Libanotis Theophrasti major. *Lob. ic. 704.*

Libanotis latifolia major. *Bauh. pin. 157.*

Libanotis latifolia altera sive vulgatior. *Bauh. pin. 157.*

Libanotis alpina latifolia, semine crispo. *Bocc. mus. pag. 24. t. 3.*

Haec planta ut vel alpina magis adscendit, aut in montanis minus editis crescit locis, tam varium induere habitum solet, ut primo intuitu duplicem constituere speciem videri possit. Asperitas foliorum magna aut summa glabrities, statura humanam aequans aut eadem parva, dant dubitandi ansam. Utramque plantam, copiose satis in Austriae montibus cre-

crescentem, examinavi omni cum attentione, coluique in horto, & eandem speciem esse, assero. In alpibus statura humilior, scilicet bipedalis, vel pedalis, etiam brevior cum caule simplicissimo unica umbella terminato. Hic summa glabrities, ita tamen, ut in quorundam individuorum foliolis, præcipue vero in costis, observetur major minorve illa asperitas, quæ plantam in nemoris editis crescentem notabilis efficit, simul ramosam, quatuor vel quinque pedes altam, foliis amplissimis spectabilem. Hujus duo foliola cum costulis sua adhærente depingi ad latus curavi; dum plantam subalpinam minorem integram tabula exhibet. Adest etiam ex priore maxima folii alicujus rami pars cum foliolis lobatis acuminatis ad Sileris foliola quodammodo accedentibus, cujusmodi quidem foliola non tam frequenter occurrunt, quum plerumque ramea & summa foliola ad inferiora magis accedant; ut ex hac parte planta Halleri num. 793 a nostra non distinguatur. Asperrimæ plantæ e silvis radix, in hortum translata, proximo anno lævissimam eandem protulit. Et alpina lævissima in horto quædam folia aspera habuit; ut omnino nihil certi hirsuties indicet. Radix digitum vel amplius crassa, bipedalis & ultra ut vix effodi integra queat, foris dilute fuscescens, intus candida, subcarnosa, vix fibrosa, perennis, sapore gaudet amarissimo subacri, nec grato, setis coronata. Caulis teres, striatus, viridis, glauco rore tectus, glaber, alba medulla farctus. Vaginæ foliorum striatæ tument. Costæ compressæ cum antico margine acuto. Folia sunt duplicato-pinnata; foliolis cordatis, integris vel varie lobatis, dentato-serratis, obtusis vel acutis, inferioribus petiolatis, summis sæpe sessilibus, utrinque glaberrimis vel solo dorso asperis, firmis, facie virentibus saturate, dorso magis glaucis venosisque. Umbella erecta, plana aut convexior, ampla ut in majoribus diametrum habeat semipedalem, ex radiis conflata plurimis teretibus striatis, involucri subpolita foliola habet acuminata, patentissima vel reflexa, dilute virentia cum margine quandoque purpureo, numero incerto a quinque ad decem. Umbella particularis convexa & densior involucrum fere simile habet, etiam nullum. Flores albidi. Petala ob inflexum apicem obverse cordata, subæqualia. Semina sunt glabra, nucleo oblongo, hinc plana, illinc quadrialata, alis membranaceis, tenuibus, subpellucidis, extima utrinque latiore, parum odorata, saporis subacris & ingrati, Septembri matura. Floret Julio. Ad marginem exhibetur semen utrinque spectatum cum transversa sectione; tum flos auctus.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA SEPTIMA.

LASERPITIUM AQUILEGIÆFOLIUM.
Laserpitium trilobum. *Jacq. vindob. pag.* [illegible].
Siler trilobum. *Crantz. fasc. pag.* 186.
Seseli æthiopici aliud genus. *Clus. hist.* CXCV.

Tota planta glaberrima est. Radix perennis, pollicem crassa, teres, pedalis & ultra, ramosa vel simplicior, superne multum capillata, foris nigricans, intus alba cum meditullio subflavescente, læte odorata, saporis amari & ingrati. Caulis teres, calamo crassior, a quatuor ad sex pedes altus, lineatus, nec sulcatus, firmus, erectus, nitidus, virens cum glauco superfuso rore, senescens etiam atropurpureus, ramis brachiatus, fibroso-solidus, & saporis cum dulcedine aromatici. Vagina foliorum est longa, concava, connivens, striata & basi amplexicaulis. Folia radicalia & caulina inferiora ambitus amplissimi ac veluti triternata petiolis instruuntur longis, substriatis, solidis, teretibus aut leviter compressis. Caulina summa sessilia sunt & subternata: foliolis plerumque trilobatis & incisis, acutisque cum dentibus subrotundis. Interdum etiam vaginæ insidet folium unicum trilobatum. Semper tamen foliola hæc omnia lata sunt, nec ulla linearia. Caulina intermedia sunt subbiternata, petiolo communi destituta, & aut instructa petiolo proprio singula, aut lateralia etiam sessilia. Et horum & radicalium pinnæ sunt amplæ, obtusæ, lobatæ, incisæ, dorso glaucæ perque venulas reticulatæ, facie virentes, tetræ odo-

rate. Involucrum universale aut deest plane, aut uno alterove constat foliolo lanceolato, acuminato, concavo, membranaceo, viridique cum ora rubente. Particulare pariter modo desideratur ex integro, modo adest ex paucis foliolis parvis contextum. Umbella ampla rara & plana radios habet strictos, striatos, teretes, bi-vel triunciales, a decem ad viginti. Particularis est convexior & densior. In flosculis centri paucis sæpe pistilla deficiunt, hinc masculinos. Reliquis germen est compressiusculum & striatum cum stylis fabulatis & virentibus. Petala sunt parva, alba, basi cuneata, inflexo-cordata, æqualia & patentissima. In staminibus caducis antheræ pallent. Fructus ex ovato oblongus compressus & obtusus in semina bina dispescitur fusca, odorem habentia saporemque aromaticum fortem cum ... hinc plana, inde convexa aliisque membranaceis brevibus & pallidioribus qui sic instructa cum interjectis alternantibus quatuor aliis adhuc angustioribus. Crescit in apricis montosis calcareis. Incipit florere sub finem Maji. Semina maturescunt Septembri. Ad marginem conspiciuntur radicis pars, folii inferioris pars aliqua non colorata, semen utrumque; cum hujus transversa dissectione facies, & auctus flos. Diversa est planta a Laserpitio trilobo Linnæi.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA OCTAVA.

CHÆROPHYLLUM HIRSUTUM. *Linn. syst. pag.* 114. *mant. pag.* 356. *Gouan. hort. monsp. pag.* 147 *ill. pag.* 15. *Crantz. fasc. pag.* 194.

Cicutaria latifolia hirsutum album & rubrum. *Moris. hist.* 3. *p.* 304. *s.* 9. *t.* 10. *f.* 6.

Myrrhis palustris. *Riv. pent. irr. tab.* 50.

Myrrhis radice prælonga; foliis triplicato-pinnatis, acutis; seminibus cylindricis. *Hall. hist. helv. num.* 751.

Myrrhis Brozzenbergensis, foliis Myrrhidis italicæ, flore albo, radice crassa nigra. *Bauh. hist.* 3. *part.* 2. *p.* 78. *Bauh. pin.* 160.

Scandix hirsuta. *Scop. carn.* 1. *pag.* 211.

Cicutaria latifolia hirsuta. *Bauh. hist.* 3. *pag.* 182.

Cicutaria palustris latifolia alba, & rubra. *Bauh. pin.* 161. *Mapp. als.* 208.

Seseli montanum cicutæ folio, subhirsutum. *Bauh. pin.* 161. *prodr.* 85.

Tota planta tritu odorem non gratum, similemque multa saporem habet. Ex radice perenni, sæpe prælonga, in crura plura divisa, foris subfuscente, intus albida, propriæ ætatem municipite, caules ad exortum incurvati adscendunt plures, teretes, æquaque, lævati, parum sulcati, aut mollibus albidis & deorsum tendentibus pilis dense vestiti, aut ferme glabri, virentes cum obscura sæpe purpura, digitum minimum crassi, sesquipedales, superne tantum ramosi ramis striatis patulisque. Inveni etiam specimina pulmaria hirsutissima, alia ferme glaberrima. Foliorum inferiorum petiolo tereti solido longoque suffultorum, & superiorum sessilium, vaginæ sunt membranaceæ, latæ, amplexicaules & subcarnosæ. Ipsa vero sunt fere biternata; foliolis oblongis, pinnatifide incisis, argute serratis, acutis, facie glabris, dorso magis dilute virentibus lucidis & ad venas pilosis. Umbellæ, quæ ante anthesin nutant, sunt convexæ, densæ, involucro universali destitutæ omni, facta ex radiis striatis plus minus quindecim. Umbellulæ particulares haud differunt, nisi quod involucro gaudeant foliolis a quinque ad decem, lanceolato-acuminatis, virentibus cum margine subalbido ciliatoque, primo patentibus, tandem reflexis. Flores colorem albent, idque modo simpliciter, modo cum quodam admisto virore, aut cum suffusa purpura. Petala sunt ob apicem leviuscule inflexum cordata, & ora ciliata; in interioribus flosculis parvula, minus cordata & æqualia; in extimis autem patentissima, & exteriorum sæpius paulo longius producta. Flosculi circumferentiæ & unicus centralis soli germen possident oblongum compressum & saturate virens, quod in geminos abit stylos subulatos albos erectos & longitudine petalorum. Qui vero in disco flosculi reliqui

sunt,

fent, carent germine & stylis. Filamenta omnibus sunt albida erecta & quina, vel saepius pauciora. Antherae pallide flavent. Sunt autem filamenta in flosculis sterilibus triplo longiora petalis; in fertilibus valde caduca, post explicationem illico delabentia fere omnia, ut forte foecundatio fiat a longioribus. Semina saporis aromatici balsamici & tandem acris. Crescit ad sylvas subalpinas. Floret Junio. In margine sunt fructus integer; culti flos fertilis, idemque sterilis; & seminis aucti transversa delineatio.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA NONA.

CHAEROPHYLLUM SYLVESTRE. *Linn. syst. pag. 214. Scop. carn. 1. pag. 218. Crantz. fasc. pag. 192.*

Chaerophyllum foliis acute dentatis, triplicato-pinnatis, glabris; nervis hirsutis. *Hall. hist. helv. num. 748.*

Chaerophyllum perenne, sylvestre, cicutae folio. *Tourn. inst. 314. Mapp. als. p. 66.*

Cerefolium sylvestre. *Riv. pent. irr. tab. 43.*

Cerefolium sylvestre perenne, seminibus laevibus nigris. *Moris. hist. 3. pag. 303. s. 9. t. 11. f. 5.*

Myrrhis sylvestris, seminibus laevibus. *Bauh. pin. 160.*

Cicutaria vulgaris. *Bauh. hist. 3. part. 2. pag. 181.*

Ex radice perenni, albida, odore apii aliquo, sapore penitus ingrato, inque ramos calamum bis vel ter crassitie superantes & subcircularibus sulcis inaequales divisa, caulis exsurgit a duobus ad quatuor pedes altus, ramosus, digitum plus minus crassus, sulcatus, striatus, inferne pallide virente medulla farctus, caeterum fistulosus, ad genicula versus dorsum folii parum intumescens, in trunci tamen inferiore parte ramisque tenuioribus ibidem ferme aequalis, ad basin multo crescente hirsutie donatus, quae paulatim superiora versus imminuitur, tandemque in ultimis ramis evanescit. Est tamen haec etiam in diversis sic diversa, ut in quibusdam individuis dentur glabri ferme toti. Folia sunt multiplicato-pinnata; radicalia saepe amplissimi ambitus. Costae hirsutae, fistulosae, dorso acute angulatae, antice profunde carinatae, oriuntque ex vagina brevi striataque, pinnulas locant lanceolatas, acutas, serrato-incisas, extremas semper longe confluentes, utrinque saepe nitidas, facie glabras & ex atro virentes, dorso pallidiores nervisque praecipuis & ad oras pubescentes, quandoque totas hirsutulas, tritas subodoratas. Folia caulina & ramea successive minora minusque divisa, caeterum similia; superiora saepe opponuntur, aut sunt terna, cum totidem ramis axillaribus. Umbellae planiusculae, nec densae, nec planae mature amplae, ante anthesin nutant, in easdem eriguntur, radiis compositae a septem ad duodecim, gracilibus teretibus & glabris, involucro universali apud nos destitutae, apud Hallerum quandoque donatae unifolio. Involucri partialis foliola sunt ut plurimum sena, semiovato-ovata, concava, glabra, ad oras ciliolata, virentia cum margine albido, umbellula triplo breviora, tandem reflexa. Flosculi sunt inodori, quos inter vidi paucos germine carentes ac steriles. Petala plana & obverse ovata albent, centralium flosculorum subaequalia, exteriorum vero extimum majus & subcordato-emarginatum, atque hoc petalum tunc cum lateralibus suis extrorsum vergit, introrsum in oppositam partem divergentibus petalis duobus reliquis. Filamenta albida brevia & caduca antheras gerunt ochroleucas & subrotundas. Fructus est oblongus, acutus, nitidus, niger, laevis, separabilis in semina oblonga, antice sulcata, caeterum teretia sine ullo sulco aut linea, inodora, sapore vix ullo. Crescit ad sylvas inque pomariis. Floret a Majo ad Augustum. Semina maturescunt Julio & sequentibus. Folii inferioris pars aliqua, fructus integer, seminis aucti dissectio, & flos auctus, exhibentur ad marginem.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA.

CHÆROPHYLLUM AROMATICUM. *Linn. syst. pag.* 214.
Seseli tinctoria. *Scop. carn.* 1. *pag.* 212.
Cerefolium, rugoso angelicæ folio, aromaticum. *Bocc. mus.* 2. *p.* 29. *t.* 19.
Myrrhis podagrariæ folio. *Riv. pent. irr. tab.* 52.
Angelica sylvestris hirsuta inodora. *Bauh. pin.* 156. *prodr.* 82.

Intacta planta odorem nullum spirat, trita vero inter digitos tota odore pollet aromatico. Radix perennis in crura dispescitur longa, teretia, foris nigricantia, intus albida, sapore quodam apii prædita. Caulis tripedalis ad duorum vel trium pedum altitudinem assurgit, teres, striatus, subramosus, medulla alba pauca & fistulosa farctus, pilis albis subrigidis & versus superiora rarioribus obsitus, ad basin digitum crassus, inferne saepe flexuosus & punctis maculisque atropurpureis notatus, ceterum rectus & virens, intra genicula valde parum attenuatus, ramosus. Vaginæ foliorum sunt striatæ, pilosæ, & amplexicaules. Caulina autem foliosa, teretes, striatæ, sulcatæ, pilosæque. Folia omnia sunt subbiternata: pinnulis ex oblongo lanceolatis, acutis, serratis, subrugosis, facie glabris & saturovirentibus, subtus subalbicantibus & ad nervos imprimis venasque pilosis, majoribus tres quatuorve uncias longis, pinnis quibusdam pinnula minore pedatis. Rami extremi nudi & glabri umbellas gerunt erectas, ex radiis conflatas a duodecim ad octodecim, planiusculas, haud densas. Involucrum universale aut deficit aut constat foliolo unico vel polyphyllo, foliolis lanceolato-acuminatis, reflexis, ad oras membranaceis albisque. Partiale involucrum semper adest ex foliolis similibus a sex ad decem. Flores sunt subrotati. Petala nivea, cum apice antrorsum incurvato cordata & veluti semibifida. Filamenta albis insidens antheræ sulphureæ. Germina glabra, compressa, longaque, ad basin angustantur. Floribus hisce fertilibus immiscentur alii steriles germine carentes. Semina sunt oblonga, ratione longitudinis gracilia, glabra, fusca, subacuta, stylo persistente & paululo aristata, hinc canaliculata, inde convexa subteretia & obsolete quadrisulcata, vix odorata, pauci saporis. Floret Junio & Julio. Semina maturescunt Augusto & Septembri. Crescit in sylvestris udis. In tabula etiam exhibetur caulis pars inferior cum folio annexo majore, non colorata. Tum ad marginem flos auctus; semen utrinque visum in magnitudine naturali, ejusdemque sectio transversa dissectio.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA PRIMA.

LIGUSTICUM AUSTRIACUM. *Linn. syst. pag.* 211. *Jacq. vindob. pag.* 222.
Crantz. f.st. pag. 197.
Seseli primum montanum Pannonicum. *Clus. hist.* CXCIII.
Seseli alpinum seu montanum primum Clusio, folio splendente, flosculis albis. *Bauh. hist.* 3. *part.* 2. *pag.* 168.

Ex radice semipedali & ultra, pollicem crassa, in crura sæpius divisa, foris ex fusco flavescente, intus cum flavedine pallente, subspongiosa, odore apii aliquo similique sapore eodem parum acri prædita, tertio vel quarto ætatis anno caulis attollitur singularis, erectus, bi-vel tripedalis, sulcato-striatus, fistulosus sine ullis ad nodos dissepimentis, totus foliosus, digitum vel pollicem crassus, superne tandem ramosus ramis plerumque simplicibus. Folia ex costa oriuntur subtus striata convexa & crassiore, supra vero concava tenui [illegible] lata; radicalia amplissima; caulina supra medium sessilia; ceterum figura eadem. Sunt autem multiplicato-pinnata: foliolis ultimis lanceolatis aut ovatis, incisis & subserratis, facie obscure, dorso pallidius virentibus, confluentibus, latitudine in diversis valde diversa. Involucrum universale polyphyllum constat foliolis lanceolatis, acutis, palli-

ifde virentibus cum ora membranacea albida, umbella fere duplo brevioribus, reflexis, aliis integerrimis, aliis pinnatifide varieque incisis. Partialis habet foliola circiter sena, integerrima plerumque omnia, exteriora umbellulas æquantia, nec reflexa. Umbella universalis eadem terminans ex radiis fit circiter quadraginta, a quatuor ad septem uncias diametro æquans. Reliquæ umbellæ sunt multo minores; densæ omnes. Hæ terminant ramos, qui serius prodeunt, atque tunc elongari incipiunt, quando jam floret umbella primaria, qua tandem alriores evadunt, quamque jam fructescentem singulari spectaculo cingunt. Quum autem cætera vix talem comprehendisset, hinc delineata caulis pars dimidia superior sistitur, dum umbella princeps in plena florescentia est, rami vero jam abunde in conspectum venerunt, quos inter imprimis illi, qui umbellæ proximi sunt, ultra hanc alius postea elevantur. Flores sunt odorati, magni, & hermaphroditi fertiles omnes. Petala alba, subovata, obcusiuscula, parum concava, patentissima, nec inflexo-cordata, per lineam mediam longitudinaliter prominulam modice bilocularia. Filamenta alba, patula, & petalis longiora antheras sustinent oblongas incumbentes & virides. Germen est profunde multisulcatum. Styli crassi, subulati, breves & pallidi eriguntur. Fructus ovatus & acutus dispescitur in duo semina ovata, fuscescentia vel magis pallida, hinc plana, inde convexa & profunde quadrisulcata, sapore peradita aromatico, quiddam de levistico habente, pro volumine suo valde levia, quia cortex siccus & membranaceus a nucleo solido, multo minore, oblongo, sulcatoque, distat, uti ex antha discissi transversim seminis figura eluces. Huic etiam in margine adstant flos, semen utrinque visum, hujus aliqua vertex a latere conspecta, omnia fere in nativo habitu. Tota planta glabra est. Floret Julio & initio Augusti, cules Majo. Post fructum perfectum perit. Crescit in declivibus alpinis & subalpinis, inter saxa radicem agens.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA SECUNDA.

SELINUM SYLVESTRE. *Linn. syst. pag.* 207. *Flor. dan. t.* 412.
Selinum palustre. *Jacq. vindob. pag.* 49.
Selinum Thysselinum. *Crantz. fasc. pag.* 170.
Selinum sublactescens, læve; foliis quadruplicato-pinnatis, linearibus. *Hall. hist. helv. num.* 759.

Lineari planta est, ipso sic asserente mihi in litteris celeberrimo viro. Hallerianam esse, judicarunt Helveti. OEderianam tabula demonstrat. De propria mea Crantzianaque facile mihi est certumque judicium. Alios omnes auctores, sane mihi perquam dubios, omitto. Lobeliani tamen Thysselini figura, eademque sub hoc nomine a Morisonio Dodonæoque data, sat bene culcam nostram plantam exhibent multicaulem habituque non parum a sylvestri abludentem, qualis a multis in horto annis perstitit, elapsisque effusis ex radice translataque denuo excrevit. Radicem certe eleganter delineant. Sylvestris nostra planta, quæ in sylvaticis inundatis, præcipue ad arundineta, crescit, semper sequenti se modo habet. Radix fusiformis, digitum crassa, foris ex albo sordens, intus candida, perennis, ferme pedalis, ramisque tamen simul pluribus semper aucta; tuber solummodo, dum ob impedimentum, ab intertextis aliarum plantarum radiculis frequenter enatum, recta descendere nequit, format, cætera tunc plurima in ambitum emittens. Lac læsa fundit album, glutinosum, spissum, & saporis refinosi acris nauseosi ac ingratissimi. Idem succus stillat de partibus plantæ reliquis, minus copiosus, sæpe nullus. Culturo vero liquor notabiliter mitescit. Caulis solitarius fere, striato angulatus, erectus, glaber, fistulosus, æqualis, calamum vel digitum minimum crassus, basique & ad nodos inferiores sanguineo colore tinctus, ad quatuor vel septem pedum altitudinem attollitur, superne ramum divisus in ramos paucos, sæpe patentes ad angulum ferme rectum. Folia sunt multiplicato-pinnata, in infimo caule adultæ plantæ jam plerumque deperdita; ut icon

Flo-

Floræ Danicæ sic optime habitum plantæ nostratis exprimit. Petioli sunt teretes, striati, fistulosi, supra canaliculati, ad basin membranacei & amplexicaules. Pinnulæ sunt lineares, vel paulo magis lanceolatæ, planæ, acutæ, ad microscopium tenuissime & brevissime ciliatæ, confluentes, virides & vix sensibiliter venosæ, nervo medio præditæ, terminales longiores. In culta autem planta pinnulæ sæpe purpurascunt, reticulatæ in dorso venulis atrosanguineis. Radii sunt striati, supra asperiusculi & ad lentem hirti. Involucrum universale fit ex foliolis ab octo ad duodecim, lanceolato-subulatis, acutis, umbella duplo brevioribus, primo patentissimis, tandem reflexis, cum margine membranaceo albo & ad lentem superne tenuissime ciliato. Huic particulare est simile, externe longius, umbellulamque æquans. Umbella plana est, aut convexula, nec densa. Sic etiam umbellulæ. Flores plerique fertiles; pauci masculi & steriles. Petala alba, lata, patentissima, propter apicem valde inflexum cordata. Filamenta albida antheris ferunt ex viridi pallentes cum striis ad latera purpureis. Styli breves & patuli sunt in flore, qui in fructu horizontaliter divergunt. Germinis vertex pentagonus flavescit leviter. Semina ante maturitatem rubescunt, maturа pallide fuscescunt, glabra, hinc planissima, inde nucleo convexula tribusque striis elevatis notato cum margine tenui membranaceo utrinque pallente, inodora, & saporis fervidi. Florere incipit sub finem Julii; semina dare maturа sub finem Septembris. In tabula exhibetur caulis pars summa cum umbella terminali jam fructescente cumque ramo summo florente ultra eandem elongato. Tum radix fusiformis cum caule infima parte. Dein folii integri pars altera ex medio caule; infima enim folia sunt circumscriptionis multo amplioris, cæterum haud diversa. Tandem flos auctus, & seminis aucti transversa sectio; seminaque ipsa in magnitudine genuina, quorum primum oblongius, orbiculare magis alterum, atque hoc utrinque conspectum.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA TERTIA.

LASERPITIUM PRUTENICUM. *Linn. syst. pag.* 269.
Laserpitium gallicum. *Jacq. enum. vindob.* 48. *Scop. carn.* 1. *p.* 196.
Laserpitium selinoides. *Crantz. fasc.* 182.
Laserpitium minus. *Riv. pent. irr. tab.* 25. *Hall. Gott.* 177.
Laserpitium daucoides prutenicum, viscoso semine. *Breyn. cent.* 1. *p.* 167. *t.* 84.

Radix biennis, ex tenui fusiformis, semipedalis aut longior, foris fusca, intus pallida, modo simplex, modo ramosa, dauci aliquo sapore prædita, ad angulum rectum inflecti solet, & sic horizontaliter pergere, primo anno sola folia promens radicalia, altero caulem, nullo capillitio vestita. Ille erigitur, colami ad summum crassitiem habens, basi sæpe purpurascens, cæterum viridis, a duobus ad quatuor pedes altus, striato-angulatus, alba medulla farctus, magis minusve pilis albis hispidiusculis patulisque hirsutus, idque versus inferiora densius, ramis paucis ex superiorum imprimis foliorum alis enatis. Folia radicalia & subsequa inferiora sunt subbipinnata, superiora successive minus divisa. Costa est antice canaliculata, ad basin membranacea, hirtula & striata. Pinnæ ex lanceolato oblongæ, confluentes, prona parte glabræ, ad nervos dorsales pilosæ, breviter mucronatæ, ad oras ciliis vix oculo nudo conspiciendis instructæ, in adultis foliis sæpe ex fusco maculatæ. Umbella plana constat umbellulis pluribus convexiusculis, haud dense positis. Radii supra sunt villosuli. Involucri universalis foliola a sex ad novem, ex oblongo acuminata, concava, glabra aut subtus villosa, ad marginem membranacea & albida, radiisque triplo breviora, deflectuntur. Involucrum partiale umbellulas fere æquat, cæterum priori simile est. Floribus subodoratis petala sunt alba, subæqualia, subtus quandoque pilosa, in medio plurimum latescentia, patentissima, & ob apicem valde inflexum cordata, etiam apparenter semibifida. Filamenta corollam excedunt. Antheræ ex flavo virent. Germen est villosum. Perianthii proprii foliola sunt viridula, ovata, concava, patula,

cum apice acuto purpureoque. Fructus ante maturitatem, & grandiusculi jam, inter digitos triti quiddam viscosi aromatici habent, quod tamen perexiguum est, inque maturitate plane perit, ut ægre mereatur adnotari. Semina sapore pollent ingrato & subacri, & tum odore aromatico, excurrentia in alam utrinque membranaceam albidam, in parte etiam convexa aliis duabus alis instructa, perfecte tunc molendinacea, uti transversim dissecti utique seminis figura indicat. Sed in aliis iterum seminibus dorsales hæ alæ sunt angustiores, in aliis ferme obliteratæ. Quinquealata semina nulla invenire potui. Etiamsi germina sint villosa, semina matura tamen sunt glabra. Ad marginem hæc exhibentur utrinque in volumine nativo; tum flos auctus. Crescit rara in montanis sylvaticis locis, ubi floret Augusto, semina serens Septembri.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA QUARTA.

SCANDIX ANTHRISCUS. *Linn. syst. pag.* 214.

Caucalis vaginis lanuginosis, foliis triplicato-pinnatis, seminibus rostratis. *Hall. hist. helv. num.* 743.

Caucalis folio cerefolii. *Riv. pent. irr. tab.* 35.

Myrrhis sylvestris nova æquicolorum. *Col. ecphr.* 1. *p.* 110. *f.* 112.

Myrrhis sylvestris, seminibus asperis. *Bauh. pin.* 160.

Odorem tota planta aliquem Cerefolii habet, sed foetidum. Radix parva, albicans & annua caulem profert suberectum, teretem, nitidum, virentem, lævem, obsolete striatum, fistulosum, debilem, pedalem vel duplo triploque altiorem, infra genicula sæpe parum tumentem, inprimis superius in ramos patentem. Folia sunt circumscriptione triangulari, mollia, tenera, multiplicato pinnata; vaginarum margine albicante & lanuginoso ciliato; petiolis omnibus cæterum pilosis; foliolis subhirsutis, aut etiam glabris; laciniis ultimis oblongis, obtusis cum exiguo acumine, plerumque integerrimis, ad basin confluentibus. Pedunculi oppositifolii aut laterales, glabri, tandem stricte patentes. Nullum adest involucrum universale. Particulare fit ex foliolis lanceolato-acuminatis, parvis, ciliatis, quaternis vel quinis. Umbellæ universalis radii quinque vel quatuor, glabri, & pollici, una cum fructu increscunt. Particularibus flores sunt a tribus ad sex, fertiles omnes, exigui. Germen hirsutum cum apice glabro viret. Petala sunt alba, oblonga, exteriora pauxillo longiora, apice acuto & inflexo, ægre tamen cordata. Filamenta petalis breviora albent. Styli sunt breves. Semina oblonga, teretia, interne sulco longitudinali exarata, undique hirta pilis brevibus hamatis rigidis, fusca, paulatim superiora versus attenuata in apicem glabrum gracilemque. Crescit ad sepes, & frutices, in aggeribus, & alibi. Floret Majo & initio Junii; sub cujus finem semina perficit. Ad tabulæ marginem exhibetur fructus integer; tum aucta flos, semen, ejusque dissecti transversim facies.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA QUINTA.

ERYNGIUM CAMPESTRE. *Linn. syst. pag.* 202. *Scop. carn.* 2. *p.* 185. *Crantz. fasc. pag.* 209. *Dod. pempt.* 5. *l.* 5. *c.* 12.

Eryngium foliis semipinnatis, pinnis pinnatis; pinnulis lobatis, spinosis. *Hall. hist. helv. num.* 735.

Eryngium campestre vulgare. *Clus. hist. CLVII.*

Eryngium montanum sive campestre. *Cam. epit.* 447.

Eryngium vulgare. *Bauh. pin.* 386. *Oed. fl. dan.* 1. 554.

Radix longa, teres, digitum plus minus crassa, foris fusca, intus albida, carnosa cum centro lignescente, per aetatem capillata, sapore dulcia aliquo dauci cum levi supervenicente acredine, & perennans, profunde in terram recte descendit. Folia sunt glabra, utrinque cassa, rigida, serrato-spinosa, pungentia; radicalia petiolata, nec ejusdem formae. Quae primis annis prodeunt, sunt oblonga & ad apicem versus magis minusve trifida, caeterum indivisa. Aut sunt quinquefida. Aut alias ludunt. In florente planta sunt pleraque ternata; foliolis bipinnatis: pinnulis oblongis, mucronatis, per costam decurrentibus. Figura luxurians foliorum, quod in umbelliferis plantis aliis non minus est verum, melius per pictorem exprimitur quam describitur. Caulis erectus, glaber, teres, & lineatus, foliis ornatur similibus, sed sessilibus aut subamplexicaulibus & minus divisis, & superne in multos subdividitur ramos patentes, pedem unum alterumve altos. Florum capitula subrotunda ramulos terminant, quorum summitates in receptaculum commune elonganteur, cui flores insident. Fulcitur involucro pentaphyllo mucronato & rigido; cujus foliola sunt subensiformia, integerrima, parumper concava, patentissima & capitulo duplo triplove longiora. Palea ad quemlibet flosculum adstat subulata & mucronata, quae ad extimos flosculos longior esse solet, magisque tetraes, ut involucrum evadere hinc videatur foliosius. Germen subovato, plus minus angulato & pilis albidis lucido insidet perianthium proprium, pentaphyllum, subulato mucronatum & longitudine corollae. Hujus subcampanulatae & pentagonae petala sunt ex ochroleuco pallida atque apice obcusa cum inflexionis limbo bifido. Filamenta petalis triplo longiora sua sunt extra corollam, hinc scilicet inter & calycem, antheraeque necesse falcis a petalorum vicinorum contiguitate in corollae angulis externis ortis. Fructus undique pilis adscendentibus hirticoronantur calyce proprio persistente, in duo separabilis semina, hinc plana, illinc alterum convexum foliolisque instructum calycinis duobus, alterum angulatum foliola gerens calycina tria, sapore levissime aromatici. Crescit copiose in campis & herbidis siccis. Floret aestate. Semina perficiuntur Octobri. Tabulae margo folia foliorum ex planta minore; idem ex planta juniore minus divisum; florem; eundem auctum, duobus tamen petalis, unico calycis foliolo, unico stamine, & pistillo integro (avulsis reliquis) instructum, ut haec omnia melius in conspectum veniant; cum petalum auctum; semen utrumque in genuina magnitudine, & hoc transversim dissectum auctumque.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA SEXTA.

CONIUM MACULATUM. *Linn. syst. pag. 206. Scop. carn. 1. pag. 206.*
Cicuta. *Hall. hist. helv. num. 766. Storck. cic. suppl. p. 7. t. 1. Riv. pent. irr. tab. 74. Dod. pempt. 3. l. 4. c. 35. Camer. epit. 839. Lob. ic. 732.*
Cicuta domestica. *Mor. umb. pag. 18.*
Cicuta major. *Moris. hist. 3. p. 290. Bauh. pin. 160.*
Cicutaria vulgaris. *Clus. hist. cc.*
Coriandrum Cicuta. *Crantz. fasc. pag. 211.*

Folia caulis & flores foetidissimum murinum odorem spargunt, qui vario tempore in eadem etiam planta modo summus est, modo debilis, ut aegre percipiatur. Tota glabra est. In omnibus plantae partibus, omni anni tempore examinatis, acredinem percepi, interdum quidem exiguam, sed semper fere manifestantem, idque fortissimis in radice, minus in seminibus, quae ferme insipida dici possunt. Radix biennis, albida, digitum crassa, in terra saepius divisa, odore dauci foetido, primo anno sola folia promit, tuncque discissa succum fundit paucum tenacem aquei coloris & ad aerem rufescentem, altero autem anno in caulescente planta ferme succo carens solidior & firma. Caulis erigitur ad trium vel septem pedum altitudinem, teres, lineatus, digitum crassus, superne etiam sulcatus, obsolete angulatus, fistulosus cum nodis imperviis, rore glauco tectus, virens cum

plerumque obliqui [illegible] fungosis, superne [illegible] ramosus & paniculatus. Folia ampla & [illegible] cotiam habent [illegible], [illegible] nec tubulosum [illegible] in femina [illegible], [illegible], virentem, omnes ex basi [illegible] & [illegible] membranacea. Pinnulae sunt oblongae, planae, nitentes, atrovirentes, [illegible] confluentes, [illegible] lacinii [illegible]. Umbellae universales [illegible], [illegible] dentes, [illegible] [illegible] ex radiis [illegible] fere. Involucri universalis [illegible] sunt inaequalia, brevia, lanceolata [illegible], reflexa, [illegible] [illegible]. Partiale simile est, sed [illegible] densissimum [illegible] [illegible] non inveni. Petala sunt alba, inaequalia [illegible], [illegible] [illegible] nec tamen cordata, acuta, [illegible] longitudinali media [illegible] [illegible]. [illegible] corollam vix superant. Styli sunt breves & obtusi. [illegible] [illegible] subrectilinearis & modo [illegible] compositum ex [illegible] [illegible] [illegible] elevatis [illegible]. Crescit [illegible] [illegible] Septembri fere feminat. Ad marginem [illegible] fructus integer [illegible] magnitudine, & feminis [illegible] sectio transversa.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

CAUCALIS DAUCOIDES. *Linn. syst. pag. 205. num. 351.*

Caucalis [illegible]. *[illegible] umbell. pag. 46. [illegible] pag. 125.*

Caucalis [illegible] involucris [illegible] universali unifolio. *Hall. [illegible]* [illegible].

Caucalis [illegible], echinato magno fructu. *[illegible] pag. 290. [illegible]*

P[illegible] [illegible] 192.

E[illegible]

E[illegible] [illegible] purpurea. *Cl[illegible] 1. p. 96. & 97.*

Planta [illegible] [illegible] pauci [illegible] praedita, ramosa, saepe diramata, [illegible] [illegible] & [illegible], [illegible] [illegible], tenuior [illegible], [illegible] quatuor [illegible]. [illegible] [illegible] solidus [illegible] virens [illegible] [illegible] adjacentes. [illegible] [illegible] [illegible] superiora [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] la [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] lanceolatis [illegible], acutae, confluentibus in pinnulas oblongas. [illegible] [illegible] [illegible]. Involucrum universale nullum, vel [illegible] [illegible] [illegible] & breves pili. Partiale saepius [illegible] [illegible] persistentibus. Umbella universalis [illegible] tres vel quatuor, rarius quinque, [illegible], patentes, [illegible] quarto [illegible], [illegible] [illegible] [illegible]. Flores a tribus [illegible] in [illegible] umbellula, tres vel [illegible] hermaphroditi & fertiles; reliqui mares & steriles, scilicet [illegible]; & horum [illegible] proprii sive pedunculi sunt graciles & longiores, [illegible] & breves. Utrique [illegible] sunt [illegible] ad quinque, [illegible], longitudine [illegible], cum antheris [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible], [illegible], [illegible], lanceolata, acuta, [illegible] persistentia. [illegible] [illegible] [illegible], [illegible], [illegible] [illegible] [illegible]. Germen [illegible] [illegible] [illegible]. Semina magna, [illegible] [illegible] pallentia, ovata, [illegible] persistente [illegible] coronata, [illegible], inde [illegible] [illegible], & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible]. Floret Junio. [illegible]. Ad marginem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] semen in [illegible] utrinque [illegible],

 ejus-

eiusdem transversa facies. Dum hanc plantam cum aliis multis Botanicis pro Caucalide leptophylla antea habebam, non poteram non Caucalidem illam, quam in Horti Botanici Vindobonensis tabula centesima nonagesima quinta exhibui, pro nova proponere. Est tamen genuina haec Caucalis leptophylla, ut cum synonymis suis ibi loco humilis poni debeat. Monendum quoque hac occasione est, Seseli multicaule in eodem opere esse Seseli montanum Linnaei.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA OCTAVA.

BUPLEURUM FALCATUM. *Linn. syst. pag.* 203. *Scop. carn.* 1. *p.* 210. *Crantz. fasc.* 125.

Buplevrum. *Riv. pent. irr. tab.* 44.

Buplevrum folio subrotundo, sive vulgatissimum. *Bauh. pin.* 278.

Buplevrum angustifolium herbariorum. *Lob. ic.* 456.

Auricula leporis, umbella lutea. *Bauh. hist.* 3. *pag.* 200. *f.* 1.

Inodora, ferme insipida, & glaberrima planta tota est. Radix perennis, foris cinerascens aut fuscescens, saepe multiceps, subfusiformis, etiam ramosa, horizontalis vel recta descendens, etiam repens, accommodans se naturae soli. Caulis teres, substriatus, subflexuosus, ab uno ad tres pedes altus, in summo crassitie calamum aequans, saepius multo gracilior, ramosusque, frequenter geniculatim deflexus. Folia sunt nervosa & integerrima; radicalia obverse ovata, apice cuspidata, in petiolum attenuata longum, interdum acutiuscula. Caulina & ramea sessilia, plerumque acuta, obverse lanceolata, aut oblonga, aut sublinearia, quandoque falcata. Umbellae numerosae, rarae, planae, facta ex radiis gracilibus a duobus ad novem. Umbellulae etiam planae, sed densiores. Involucrum universale constat foliolis inaequalibus, lineari-lanceolatis, acutis, patentissimis, brevibus, ab unico ad quatuor; etiam deficiens ex toto. Partiale foliolis quinis, concavis, lanceolatis, subaequalibus, mucrone terminatis minore. Flos luteus est. Petala subrotunda, obtusa, concava, lata, semi-inflexa, patentissima externum, staminibus duplo breviora. Germen oblongum, compressum & striatum viret. Styli sunt breves. Fructus ante maturitatem virescere solet, maturus subfuscescere magis, ovatus, compressus, & separabilis in duo semina oblonga, glabra, hinc planiuscula, illinc valde convexa, striata & quinque lineis magis protuberantibus notata. Crescit in asperis montosis apricis, imprimis cretaceis, non modicum inter frutices. Floret ab Augusto ad Octobrem. Semina maturescunt Octobri & Novembri. Ad marginem sunt semen utrinque situm; hujus aucti differentiae & flos auctus.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA NONA.

ANEMONE NARCISSIFLORA. *Linn. syst. pag.* 375. *mant.* 406. *Crantz. fasc. pag.* 112. *t.* 3. *f.* 1.

Anemone seminibus nudis, rotundis, planis; foliis sepiatifidis, imbricatis, hirsutis; floribus umbellatis. *Hall. hist. helv. num.* 1155.

Ranunculus montanus secundus. *Clus. hist.* 235.

Ranunculi montani secundi species altera. *Clus. hist.* 235.

Ranunculus montanus hirsutus albus altior. *Bauh. pin.* 182.

Ranunculus montanus hirsutus humilior, narcissi flore. *Bauh. pin.* 182.

Valde variabilis planta est, si cuncta ab illustri Hallero allata synonyma eandem praecise vereque speciem indicant. In nostratibus alpinis subalpinisque locis, ubi frequens occurrit, praetergaudet statura, quae a sesquipedali ad quadrunciatem descendit pro diversa alpium altitudine, quando etiam pumila planta hirsutior esse solet, haud admodum variare solet. Radix perennis, ramosa, lignosa, foris nigra, & saepe multiceps, caput gerit vaginis praeteritorum foliorum emarcidis coronatum. Folia sunt radicalia, ternata, petiolo bisulcato purpurascente longoque insidentia; foliolis facie saturate, dorso dilutius virentibus, ad oras per pilos albidos brevissimos ciliatis, caeterum subglabris, incisis, acutis, plerumque profunde trilobatis, saepe amplis ut mutuo incumbant. Caulis striato-angulatus, pilosus, aphyllus & rubescens erigitur, superne ornatus involucro triphyllo aut tetraphyllo, in lacinias lanceolatas & acuminatas inciso. Ex hoc assurgunt pedunculi umbellati a duobus ad octo, teretes, villosi, erecti, involucrum saepius superantes. Singuli unicum florem sustinent. Petala sunt quina vel sena, ovata, acutiuscula, nivea, dorso stria purpurascente notata, calyce deficiente, in principio corollam concavam efformantia, tandem patentia. Filamenta albent. Antherae flavae eriguntur. Germina pallide virent. Semina in capitulum collecta sunt late obverse ovata, compresso-plana, integra, obtusissima cum mucrone adscendente, ad oras membranacea, fuscescentia, glabraque. Floret Junio & Julio. Semina fert Augusto.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA.

MARRUBIUM PEREGRINUM. *Linn. syst. pag. 396. Crantz. fasc. pag. 274.*
Marrubium sepiarum. *Scop. carn. 1. pag. 414.*
Marrubium album pannonicum. *Clus. hist. pag. XXXII.*
Marrubium album latifolium peregrinum. *Bauh. pin. 230. Moris. hist. 3. p. 377. s. 9. t. 8.*

Radix perennis, lignosa, ramosa, fortiter terrae inhaerens, multiceps plures fundit annuatim caules, quadrangulares, inferne longitudinaliter, caeterum contrarie sulcatos, incanos, teretes, a semipede ad duos pedes altos, erectos vel adscendentes, per ramificationem oppositam paniculamque paniculatos. Folia caulina superiora & ramea sunt lanceolata, in petiolos attenuata, opposita, acuta, venosa, rugosa, utrinque subtomentosa & ex viridi albentia, serrata, summa saepe integerrima. Radicalia & caulina inferiora in planta florente jam omnia perierunt. Haec sunt aut ovata, cujusmodi ad marginem in tabula exhibetur; aut magis subrotunda, idque interdum eo usque, ut folia uncias duas longa gaudeant lamine triunciali, tunc simul obtusissima; caeterum haud diversa. Flores verticillatim axillis foliorum insident, utrinque ut plurimum terni vel quini, suaveolentes. Calyx decemstriatus, tomentosus & incanus denticulos habet quinque, quorum duo sub labio corollae inferiori sunt duplo longiores reliquis. Decemfetaceum calycem nihil multum videre contigit. Corollae albae, utrinque villosulae & calyce fere duplo longioris labium superius est semibifidum & obtusissimum. Inveni etiam trifidum, utrinque latius. Lacinia media labii inferioris & brevioris est non emarginata, laterales obtusissimae. Filamenta faucem non superantia donantur antheris flavescentibus. Semina nigricant, ad apicem pilis albidis brevibusque hirsuta. Crescit copiose ad aggeres, ad agros, & alibi. Floret a Junio usque ad Octobrem. Odorata parum est. Tota autem planta sapore gaudet amaricante & subacri.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA PRIMA.

ANTHERICUM RAMOSUM. *Linn. syst. pag. 245. mant. 365. Scop. carn. 1. p. 246.*

Pedicularium [illegible] teretibus, foliis [illegible], gramineis; caule ramoso, fere panicu-[illegible] *[illegible]* 2068.

[illegible] *[illegible]* 42.

[illegible] *[illegible]* 328.

[illegible] ramosius. *[illegible]* 19.

[illegible], ramosius. *[illegible] 2. pag.* 635.

N[illegible] & [illegible] fibras longas teretes [illegible] [illegible] [illegible] triplo [illegible] Stipulae sunt [illegible] & [illegible]. [illegible] teretes, [illegible], & erectiuscula, [illegible] novemlinearis. Perula [illegible] [illegible] [illegible] Filamenta [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] pollet. [illegible] Capsula [illegible] triquetra [illegible] continet semina [illegible] [illegible] [illegible] perennis. Crescit in [illegible] [illegible], florens Junio & Julio, perficiens semina Augusto.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA SECUNDA.

INULA ENSIFOLIA. *[illegible]* 883.

Aster [illegible]. *[illegible]*

Aster angustifolius, five [illegible]. *Cat. [illegible]. XV.*

Aster luteus, linariae rigido glabro [illegible] 267.

Plures [illegible] & obliqua [illegible], teretes, [illegible] [illegible] superiorum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] glabrae [illegible]. Folia sunt ensiformia, [illegible] angusto [illegible] acuminata, rigida, glabra, [illegible] [illegible], alternatim [illegible] longitudine [illegible] [illegible] Flos luteus [illegible]. Calycis foliola [illegible] & [illegible] [illegible] lanceolatum, acutum, & [illegible] [illegible] pallide virentes cum apicibus fuscis [illegible]. [illegible] acutus. Antherae [illegible] [illegible] Semina [illegible] pappo [illegible] longiori & ad [illegible] [illegible] [illegible] in [illegible] & [illegible]. Floret Augusto. Semina [illegible] [illegible] Septembri.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA TERTIA.

PEZIZA COCCINEA.

Peziza [illegible] *[illegible]* 2022.

Elvela coccinea. *[illegible]* 148.

Fungi [illegible] *Cat. [illegible]. CCLXXVII.*

Fungoides coccineum, [illegible] *[illegible]*

Fungus [illegible] [illegible]

Peziza [illegible] *[illegible]* 26.

Eleganti limus fungus, nec eodem modo, nec eadem forma excrescens, semper praesertim autumno apud nos putridis ramulis per superficiem terrae dejectis, in silvis editioribus Danubialibus, sic perpetuo fertilis. Si vero ramuli limo molli sepulti jacent, tunc stipite donatur, ab ipso ramulo ad soli superficiem pertingente, quem tamen una uncia longiorem vix observavi, ut profundius germinare haud videatur. Ita pileus subsessilis, ut etiam hic sessilis primo intuitu credi possit. Nunquam in ipsis arboribus inveni, nec a dicendo calore aberrantem. Figura pilei valde varia est. Aut concava, & modo scutelliformis, quae frequentior est, modo infundibuliformis; aut omnino plana; aut difformiter plicata. De maximis, quos inveni, minimisque exhibeo aliquos, dum datur inter eos omni magnitudine intermedii. Longitudinaliter dissectus etiam adstat, quo fungi ipsa substantia pateat, & transitus stipitis per glutinose connatam mediam seriem. Haec enim semper ad latus adhaeret fungo. Caro coriacea albet; externe aequalis pallet cum levissima pertusa rubedine; ad marginem, qui tenuissime est crenulatus, paulo magis attramentosa; interne mollior calore fulget omnium elegantissime cinnabarino. Vegetat mense Martio.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA QUARTA.

LEONTODON HASTILE. *Linn. syst. pag.* 522.
Leontodon dentidiale. *Jacq. vindob. pag.* 270.
Leontodon palustre. *Lysath. fasc. pag.* 48.
Dens leonis, foliis longis angustis laciniatis glabris. *Ray. syll. ext. p.* 399.
Dens leonis glaber angustiore & longiore folio, flore minore. *Morit. hist.* 3. *p.* 75.
Picris scapo uniflora, foliis glabris semipinnatis, calyce laevi. *Hall. hist. helv. num.* 26.

Radix calamum vel maximum digitum crassa, saepe praemorsa, foris fusca, longis fibris capillata eliditis, & perennans, folia promit plura, oblonga, versus basin paulatim & longe angustata, acuta vel obtusa, magis minusve profunde argute dentata, longitudine inaequalia, glabra utrinque, tenera. Scapus firmus unus alterve, striatus, pollice uniflorus, erectus, foliis altior, glaber, stipulis paucissimis praeditus, caeterum aphyllus. Calycis oblongi & vix manifeste villosi foliola sunt imbricata & inaequalia. Corollulae flavent, extus saepe luridae. Semina sunt subulata infra & coronata pappo plumoso sessili. Crescit frequentissime in pratis humidis, florens Junio & Julio. Semen habetur ad marginem.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA QUINTA.

TOZZIA ALPINA. *Linn. syst. pag.* 406. *Crantz. fasc. pag.* 305. *Hall. hist. helv. num.* 298.
Tozzia alpina, lutea, Alsines folio, radice squamata. *Mich. nov. gen. pag.* 20. *t.* 16.
Anonymia fratris Gregorii, dentata radice. *Col. ecphr.* 2. *pag.* 49.
Euphrasia lutea, radice squamosa. *Bauh. prodr.* 11. *Zan. hist. rar. pag.* 224. *t.* 172.
Dentaria lunguloides, radice globosa, squamis myodontoideis, alpina. *Mentz. pag. rar. t.* 9. *f.* 3. & 4.

Tenella planta in udis saxosis nostrarum alpium provenit, florere incipiens sub finem Julii. Radix inaequaliter subrotunda & obtusa tegitur squamis ovatis vel lanceolatis, crassis, acutiusculis, pallidis, sibi mutuo sine ordine incumbentibus, ad caulis basin etiam adhaerentibus, quidem foliola parva mentitis. Semper glomus fibrillarum capillarium densissimum firmiter radicem obvallat, difficulter separandum. Caulis annuus, semipedalis vel

 du-

duplo altior, inferne filiformis & ad summum calami crassitie, villosus, tetragonus, cum vicino pallens, magis minusve erectus. Rami oppositi, axillares & villosi. Folia sunt ovata, obtusa vel acuminata, parum serrata, glabra, opposita, sessilia, dorso subnervosa. Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, parvi, breves que oppositum; in fructu reflexo [illegible]. Perianthium monophyllum, tubulosum, persistens, erectum, glabrum, pallide virens, bilabiatum: labio inferiore tridentato; superiore bidentato; denticulis [illegible] acutisque. Corolla lutea, infundibuliformis, [illegible] & bifida ad labium [illegible], quod [illegible] est, adspergitur punctis sanguineis. Labium superius est bifidum, [illegible] planum, obtusum & subaequale. Filamenta [illegible] & longitudine fauces [illegible]; antherae [illegible], oblongae, obtusae, [illegible]. Germen ovatum, obtusum, glabrum, & calyce brevius, stylo in capitulum globosum, glabrum, [illegible] pericarpium [illegible], quadriloculare & [illegible]spermum.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA SEXTA.

PHACA FRIGIDA. *Linn. syst. edit.* 10. *pag.* 1175. *Jacq. vindob. p.* 265. *Hall.* [illegible] 533.

Ph[illegible] Gmel. *sib.* 4. 19. t. 2. *f.* 2.

Astragalus caule erecto, floribus maximis, foliis ovatis novenis, siliquis vesicariis. *Hal.* [illegible] *helv.* num. 401.

Quamvis Planta frigida haecce, & Linnaei [illegible] atque australis [illegible] [illegible] speciei, [illegible] Hallero, Dillio, [illegible] ex hac vera [illegible] & comparatis [illegible]. Radix perennis, lenta, foris fusca, [illegible], ramosa & [illegible], ad [illegible] horizontaliter sub terra [illegible]. Caules [illegible] & glaberrimi, [illegible] quinque unciarum [illegible] apud nos [illegible], in Helveticis [illegible]. Folia sunt alterna, pinnata. Foliola utrinque [illegible] ad sex cum [illegible], ovata vel [illegible] oblonga, obtusa vel magis acuta, [illegible], [illegible] per [illegible] [illegible], foliis & [illegible]. [illegible] ad petiolos [illegible], infra [illegible], [illegible], acuta, [illegible] pubescentes, magnae, pallidissime virentes, superiores [illegible], inferiores [illegible]. Racemus [illegible], aut in planta [illegible], aut cum aliis paucis [illegible], erectus, [illegible] longitudine flores [illegible] [illegible], [illegible], in [illegible] plerumque versus, [illegible]. [illegible] sunt oblongae, [illegible], [illegible], & pallide virentes. Calyx oblongus & [illegible], [illegible] denticulis [illegible]. Corolla alba vel ochroleuca [illegible] omnia sunt [illegible], [illegible] in longitudine calycis. Germen pedicello [illegible] tenui [illegible]. [illegible], longo pedicello extra calycem propendens, inflatum, utrinque acuminatum, stylo [illegible] instructum, [illegible], [illegible], [illegible] planum, [illegible] inferiore [illegible] versus [illegible] depressa. Semina pauca, [illegible], compressa. Crescit in summis herbidis alpium jugis. Flores Julio & Augusto. Semina perficit sub finem Septembris & Octobri. In tabula exhibetur planta cum radicis ramosa parte; cum legumina [illegible] cum semine.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA SEPTIMA.

ASTRAGALUS MONTANUS. *Linn. syst. pag.* 499. *Jacq.* [illegible] *pag.* 264. *Scop.* [illegible] *fasc.* 78. *t.* 45.

[illegible]

Astragalus foliis ovato-lanceolatis, sericeis; siliquis erectis, inflatis, subhirsutis. *Hall. hist. helv. num. 408.*

Astragalus quibusdam montanus, vel Onobrychis aliis. *Bauh. hist. 2. p. 339.*

Astragaloides alpina purpurea, villosa, pumila, foliis brevioribus acuminatis, caulibus simplicibus nudis. *Tilli hort. pis. p. 19. t. 14. f. 3.*

Phaca montana. *Crantz. aust. p. 422.*

Onobrychis quarta. *Clus. hist. CCXL.*

Radix perennis, lignosa, foris nigrescens, multiceps in plures cauliculos breves perennes [illegible] imbricatis ac pubescentibus squamatos dividitur. Caules brevi simi & [illegible] terminantur scapo sive pedunculo communi tereti, simplici, villoso, foliis paulo longiore; qui capitulum fere densum e floribus circiter duodecim, brevi sime pedunculatis, [illegible] violaceis vel e rubeo purpureis, rarissime albis, erectis aut patulis. Folia [illegible] pauca; summa plerumque opposita; pinnata & hirsuta: foliolis utrinque a duodecim ad [illegible] cum impari, lanceolatis, acutis, parvis, oppositis vel alternantibus, utrinque pilosis, ciliatis, & [illegible]. Bracteæ angustæ, hirsutæ & acutæ. Calyx hirsutus purpurascit. Alæ & vexillum fere ejusdem longitudinis superant carinam obtusam cum mucrone. Stylus ad angulum rectum incurvatur. Legumen oblongum, inflatum, [illegible] hirsutum, mucrone tenui inflexoque instructum, pollicare, hinc convexum, inde sutura intropressa sulcatum, unde valvæ intra cavitatem leguminis in productam, ut legumen perficiant imperfectum, quod [illegible] ad valvarum tamen suturam [illegible], (vel fere hac [illegible] illustris Halleri,) ergo subbiloculare sine dissepimento vero. Semina sunt plura, ex subrotundo reniformia, nitida, & [illegible]. [illegible] caule [illegible], axillaris simul scapus adest. Hirsuties in planta major minorve [illegible] observanda. Crescit in summis alpium jugis. Floret Junio & Julio. Semina matura Octobri.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA OCTAVA.

HEDYSARUM OBSCURUM. *Linn. syst. pag. 495.*

Hedysarum alpinum. *Jacq. vindob. pag. 260.*

Hedysarum controversum. *Crantz. aust. pag. 425.*

Hedysarum caule recto, ramoso; foliis ovatis; siliquis pendulis, lævissimis, venosis. *Hall. hist. helv. num. 395.*

Onobrychis semine clypeato levi. *Bauh. pin. 350.*

Onobrychis clypeata levis. *Bauh. prodr. 149.*

Astragalus alpinus spica erecta purpurea speciosa. *Comm. lit. norib. 1736. p. 101. t. 1. f. 2.*

Planta hæc pro varia alpium altitudine spithamæ duos vel sex, & ultra uncias æquat, rarius tamen pedem attingit, hinc diversa jam ab Hedysaro alpino Linnæi, ad hunc usum [illegible], ipso docente in literis illustri viro, excrescere. Radix fusca, lignosa, perennis, [illegible] varia, sæpe tenuis, etiam crassa ut digitum pollicemve superet, & multiceps longe [illegible] serpit. Caulis annuus, unus alterve, plerumque simplicissimus, rarius ramo auctus, erectusque terminatur racemo magis minusve denso & eleganti. Radicalis folia in planta florente nulla. Caulina pauca, alternatim, pinnata ex foliolis utrinque a tribus ad octo cum impari, ex ovato oblongis, obtusis cum exiguo acumine, integris, oppositis, breviter petiolatis, subtus ad lentem hirsutis, per venas obliquæ adscendentes lineatis. [illegible] sunt lanceolatæ, membranaceæ, amplexicaules, subaxillares, fuscæ, sæpe supra medium bifidæ in [illegible]; quæ infra folia sunt, subimbricatæ & vaginantes. Flores [illegible] numero varia a pedunculis brevibus imbricatim pendent. Caly-

cis

cis laciniæ inferiores sunt gradatim longiores. Corolla ex violaceo purpurea magisve rubra, carina alba, vexillum supra unguem alba macula insignitum & alæ planæ utræque longitudine subæquales sunt, & breviores carina. Germen rubere solet. Leguminis oblongi, compressi, glabri & subcelsentis articuli variant ab unico ad quatuor, subrotundi vel oblongiusculi. Semina sunt ex oblongo inæqualiter reniformia. Bracteæ setaceæ. Crescit in summis alpibus. Floret imprimis Julio. Semina perficit Septembri. Racemus fructiger & tamen etiam ad tabulæ marginem siluntur. Colo in horto Hedysarum alpinum Linnæi ex seminibus Sibiricis, quod nondum floruit. Communicavit nuperrime celeberrimus Linnæus mecum eandem plantam florentem siccam. Utrobique invenio stipulas fuscas & breves; quæ in Hedysaro obscuro sunt valde longæ; ut vel ex hac nota, si constans sit, distingui possint.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA NONA.

BOLETUS RUGOSUS.

Fungus speciosus parasiticus arborum truncis innascitur, totus lignoso-coriaceus & perennans. Superne durus, inæqualis, badius, vernice veluti oblitus, calamum vel pollicem crassitie ratione voluminis ipsius fungi, pileum gerit plerumque subdimidiatum, dum lateralis ei adnascitur. Hic superne planus est, rugosus primum, ex rubro badius & nitidissimus, tandem hepaticus minusque nitens. Carnis parca substantia est interne coriacea, tuberosa, cinnamomea, tenax & ad fomitem apta. Substantia tubulosa concolor, crassa, a carnosa separabilis, subtilissime porosa; tubuli punctiformes, in principio pallentes, tandem magis cinnamomei; ad album inepta. Fungi illo, in eodem loco exorti, & minores, in tabula proponuntur, bini seque illinc spectati. Tum fungulus minor, & fungi pars, ut pateant interiora.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA.

ALTHÆA HIRSUTA. *Linn. spl. pl. 966.* *Scop. carn. 2. p. 43.* *Crantz. fasc. 144.*
Althæa foliis inferioribus reniformibus, caulinis palmatis trilobis & quinquepartitis, calycibus hispidis. *Hall. hist. helv. num. 1073.*
Alcea hirsuta. *Bauh. pin. 317.* *Scop. carn. 3. p. 98.*
Alcea villosa. *Bauh. hist. 2. pag. 1067.*
Alcea herbacea minima, flore cæruleo, Hispanica. *Barr. ic. 1169.*

Ex radice annua, fibrosa & albida caulis assurgit sesquipedalis vel spithamæus, erectus vel adscendens, simplicissimus vel ramosus imprimis inferne, teres, & hispidus pilis albis longis patulisque, quos etiam petioli, stipulæ, pedunculi & calyx uterque gerunt. Folia sunt petiolata, facie glabriuscula, dorso pilosa & scabra; inferiora ex reniformi subrotunda, obtuse dentata, & obscure septem- vel quinquelobata; superiora serrata, palmata, quinqueloba; summa trifida, lobis oblongis. Stipulæ sunt ex ovato lanceolatæ & acutæ. Pedunculi teretes, erecti, axillares, foliosi & uniflori æquant longitudinem folii. Calycis externi profunde sunt divisi & patentis foliola sunt ciliata, inæqualia, lanceolata aut ovata, acuminata, septem vel octo. Interioris ultra duas tertias partes divisi laciniæ, tunc paulo longiores, lanceolato-acuminatæ, & erectæ. Petali carnei, aut cærulescentis, aut albidi laciniæ sunt obverse ovatæ, calyce paulo longiores, obtusissimæ, & obsolete crenulatæ. Antheræ cærulescunt. Receptaculum conicum locat arillas circiter duodecim glabros & transversim rugosos. Floret æstate. Crescit in aridis montosis, planta infrequens.

TA-

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA PRIMA.

CARDUUS ERIOPHORUS. *Linn. syst. pag. 530. Clus. hist. CLIV. Matth. ic. tab. 293.*
Carduus capite rotundo tomentoso. *Bauh. pin. 382.*
Carduus tomentosus, corona fratrum herbariorum. *Lob. ic. 9. tom. 2.*
Cirsium eriophorum. *Scop. carn. 2. p. 130.*
Cirsium foliis pinnatis, pinnis bilobis, lanceolatis, spinosis; calycibus tomentosis, sphaericis, spinosis. *Hall. hist. helv. num. 168.*

Radix biennis, digitum crassa, fusiformis, ramosa, foris fusca, intus albida, ferme insipida & subdulcis. Caulem altero aetatis anno attollit firmum, sulcato-striatum, medulla albida refertum, lanuginosum, ramosum, & tres quatuorve aut etiam plures pedes altum. Folia sunt pinnatifida, sessilia, supra virentia & hirta, subtus tomentosa & incana, semipedalia vel pedalia: laciniis oblongis, oppositis vel alternis, distantibus & quibusdam per paria sibi vicinioribus, in spinam flavescentem longam durissimamque terminatis, per spinulas etiam minores ciliatis, caeterum integris, terminali longissima; nervis mediis albentibus. Flores erecti ramos terminant, in ultimis foliis quaternis quinisve sessiles, maximi, speciosi. Calyx basi planior, hinc sphaericus, constat squamis numerosissimis, lanceolato-subulatis, spinula quidem terminatis, sed, quod ipsae molles sint, cedente nec valde pungente, superioribus patulis, reliquis magis recurvatis, lana arachnoidea quam plurima subcinerascente connexis omnibus per totam longitudinem, spinula excepta, infra quam purpureo villo vestiuntur. Corollulae quinquefidae longissimaeque saturate purpurascunt. Antherae primo purpureae, postea pallent. Styli longi & purpurei tumido circa medium geniculo instruuntur. Receptaculum est crassum & carnosum. Semina pappum gerunt copiosum plumosum. Crescit copiosius in sylvaticis subalpinis & montosis, minus frequenter in locis demissis. Floret Augusto & Septembri. In margine sectum sistunt flosculus & semen.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA SECUNDA.

BOLETUS RAMOSISSIMUS. *Scop. carn. 2. pag. 470. Schaeff. fung. vol. 4. p. 79. tab. 111. 265. 266.*
Fungus maximus hungaricus; multis laciniis squamatim incumbentibus. *Bauh. pin. 372?*
Fungi esculenti genus vicesimum primum monstrosum. *Clus. hist. CCLXXI?*

Fungus elegantissimus, edulis, in foro Viennensi venalis, saepe molis magnae, ut depictus octo uncias altitudine ac latitudine, crassitie quinas aequat, ubique uniformis, constat stipite brevi crassoque, hinc in crura ramosque quaquaversum se diffundit, extremitatibus singulis iisque numerosissimis desinens in totidem pileos, externe infundibuliformes, quorum discus expansus est orbicularis, plerumque difformiter, semper concavus aut infundibuliformis, intus & obsoletis villis squamosus. Externa totius superficies albida est, in juniore planta ad oculum nudum aequabilis, microscopio autem spectata haud profunde & tenuissime porosa, boleti sic imaginem habens; & talem non porosam expressit pictor in tabula mea. Schaefferiana icon magis adulta est, quando pori sub sensum aperti cadunt. Totius substantia tenera est, [illegible] tamen & subfibrosa, alba, elastica, nec succum laesa fundit. Tabulae figura superior fungum exhibet integrum; inferior dimidiatum in parte sectionis & discilli longitudinaliter truncati. Autumni initio crescit in quercubus putridis.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA TERTIA.

HERACLEUM ANGUSTIFOLIUM. *Linn. syst. pag. 210? mant. pag. 57?*
Sphondylium hirsutum, foliis angustioribus. *Bauh. pin. 157? prodr. 83?*

Ex tribus Heracleis, hoc & subsequis binis, nunc tres distinctas species constituo. Si in unam contrahere lubet aliis, merentur tamen nihilominus suis cum figuris separatim tradi, ut intelligant omnes, qua super re moveatur quaestio; cum quod varietates insignes magisque constantes vix minore dignas observatione judicem quam species ipsas. Culta haec Heraclea mutantur, uti mutari solet Sphondylium vulgare, semper tamen ita simul servant habitus prioris sui illas notas, quibus sylvestria distinguebantur, ut peritus facile & illico ipsa discernat. Hujus vero angustifolii statura eadem est atque Sphondylii. Caulis striato-sulcatus pilisque albis asper ad duorum, trium quatuorve pedum altitudinem attollitur. Foliorum laciniae, quam in Sphondylio, sunt angustiores, acutae, facie glabrae, dorso imprimis ad nervos hirsutulae. Petala viridia, idque modo saturate, modo cum aliqua flavedine dilutius, subaequalia totius umbellulae omnia, nulla vero unquam radiata a me visa aut alba, caeterum subovata, quandoque latiora, propter inflexum obtusum apicem subcordata, patentissima. Germen virет. Filamenta pallent. Antherae cum virore flavent. Semina Sphondylii. Involucrum universale aut nullum habetur, aut fere simile est partiali, constans ex foliolis linearibus acutis & reflexis. Crescit in alpinis. Floret Julio. Ad marginem tabulae flos auctus, & semen in genuino volumine utrinque spectatum. Folii inferioris pars aliqua etiam adest, haud colorata.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA QUARTA.

HERACLEUM LONGIFOLIUM.
Heracleum angustifolium. *Jacq. vindob. pag. 217. tab. 2. fig. 2. Crantz. fasc. p. 155?*
Heracleum palmatum. *Crantz. fasc. pag. 155?*
Sphondylium foliis angustioribus. *Riv. pent. irr. t. 5.*

Hoc longitudine insigni laciniarum foliorum omnium magis abscedit a Sphondylio quam reliqua: sunt enim hae laciniae primariae semipedales, in culta etiam planta pedales, ex lanceolato oblongae, acutae, superne glabrae, subtus asperae, parum & breviter subdivisae. Et vel in tenella adhuc plantula folia sunt palmata in lacinias longas. Caulis pilis albidis asper, a duobus ad quatuor pedes altus, & striato-sulcatus est. Involucrum universale, quod saepe desideratur, est polyphyllum ex foliolis linearibus, acutis, & particulari simile. Petala alba, subovata, & ob inflexum apicem subcordata, exteriora sunt radiantia majora & semibiloba. Fructus idem cum aliis. Crescit & floret cum priore. Pars folii caulini minimi, non colorata, etiam delineata conspicitur.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA QUINTA.

HERACLEUM ELEGANS. *Crantz. fasc. p. 155. t. 2. f. 1.*
Heracleum angustifolium. *Jacq. vindob. pag. 217. t. 2. f. 1.*

Planta ab unico ad quatuor pedes alta, priorum habitu. Fructificatione convenit cum Heracleo longifolio, ut nihil, quod addam, habeam. Foliis propius accedit ad Heracleum angustifolium, tamen ab hoc etiam sic, magisque a reliquis, diversum. Scilicet sunt laciniae valde angustae, nec longae; tum multum confluentes. Folia plerumque ternata; sed inveniuntur etiam ultra divisa in individuis majoribus. Crescit & floret cum prio-

ri-

ribus. Magnitudo floris nativa inutilem reddit ejusdem aucti delineationem. Folii caulini inferioris pars, non colorata, a tergo sigura exprimitur.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA SEXTA.

CINERARIA CORDIFOLIA. *Gouan. illustr. pag.* 69.
Cineraria alpina. *Linn. syst. pag.* 557.
Solidago alpina nuda. *Jacq. vindob. pag.* 287.
Senecio alpinus. *Scop. carn.* 2. *pag.* 164.
Senecio foliis cordato-lanceolatis, serratis. *Hall. hist. helv. num.* 63.
Jacobaea pannonica tertia, latifolia prima. *Clus. hist.* XXII.
Jacobaea alpina, foliis rotundis serratis. *Bauh. prodr.* 70. t. 69.
Jacobaea montana, integro, rotundo folio. *Bocc. mus.* 2. *p.* 61. t. *Barr. ic.* 145
Jacobaea alpina laciniata, flore Buphthalmi. *Bauh. pin.* 131.

In Enumeratione stirpium agri Vindobonensis sub Solidaginis alpinae nomine plures plantas conjunxi, quas alii separant. Nimiopere variantis in hisce plantis naturae lusus impulerat me ad confundendas omnes. Re nunc certius perpensa, ipsarumque cultura etiam plantarum eruditus, in species distinguo sequentes, in Cinerariam cordifoliam, crispam, & integrifoliam. Addo longifoliam, mihi dubiam, ad integrifoliam forte pertinentem. Omnes florum pedunculorumque structuram tam habent similem, ut sufficiat descripsisse unam. Nec radix differt. Vix etiam caulis. Sola itaque folia absolvunt discrimen. Cordifolia petiolos foliorum radicalium & infimorum gerit longos, nudos, nec vel minime alatos; quos longos alatosque crispa habet. Integrifoliae sunt folia ferme integerrima, radicalia spathulata potius quam vere petiolata. Ab hac differt longifolia foliis omnibus oblongis. Nunc cordifolia describatur; cujus radix fibrosa & fusca perennat. Caulis est pedem unum alterumve altus, rectus, obscure angulatus, superne parum striatus, fistulosus, simplex, fere glaber & virens. Pedunculi striati, villosiusculi & numero varii sub- [illegible] caulem terminant, fulti foliis anguste lanceolatis & subulatisque, & pauci insi- [illegible] squamis linearibus, idque imprimis ad basin calycis. Hic constat foliolis circiter [illegible], sublinearibus, acutis, concavis, erectis, aequalibus & glabris. Corollae luteae. [illegible] radii sunt sublineares, bi- vel tridentati, circiter viginti. Pappus ad lentem denticulatus. Reliqua, uti in charactere Linnaeano. Folia sunt late cordata, serrato-crenulata, venosa, facie nitida, dorso magis minusve villosa, petiolata. Petioli radicalium caulinorumque inferiorum longi & carinati. Sequentium alati. Superiorum paginae ad petiolum magis excurrunt, ut figura cordata sic pereat. Crescit ad margines sylvarum subalpinarum; tum etiam in apricis saxosis udis. Floret Junio & Julio.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

CINERARIA CORDIFOLIA auriculata.

Cinerariae cordifoliae varietas occurrit, quam hic propono, iisdem in locis crescens. In hac petioli foliorum superiorum sunt breviores & diversimode auriculati sive appendiculati, cum ipsa etiam folii magis argute serrato. Utraque planta interdum ramosa invenitur, propterea hoc specimen ex sylvestribus ramosius selectum fuit, dum praecedens simplex depingitur. Culta cum hae, tum aliae, altiores ramosioresque evadunt. Hujus quinta culae folium radicale seorsim additur delineatum.

 TA-

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA OCTAVA.

CINERARIA CRISPA.
Solidago alpina alata. *Jacq. vindob. pag.* 287.
Jacobæa pannonica quarta. *Cluſ. hiſt.* XXIII.

Etiam cum prioribus in ſubalpinis hæc ſtirps reperitur, bipedalis, pedunculis & calycibus magis villoſis quam in priore. Folia radicalia ſunt cordata & per totam petioli longitudinem utrinque decurrentia, ſiduntque laciniato-inciſa. Caulina ſuperiora ſunt oblonga, acuta, argute & inæqualiter inciſo-ſerrata, ſeſſilia. Omnia ad margines criſpata & undulata, multoque ſæpe magis, quam ſpecimen expreſſum ſylveſtre. Hanc plantæ cultura habitum non mutavit, nei parva ex addito radicali folio, hic triplo fere, quam in ſylveſtri, majore.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA NONA.

CINERARIA INTEGRIFOLIA alpina.
Solidago alpina tomentoſa. *Jacq. vindob. pag.* 287.

Hæc inter affines maxime frequens reperitur ad ſylvarum ſubalpinarum margines. Caulis mihi videtur magis angulatus & ſtriatus. Folia denticulata ſordide virent. Radicalia ſubovata, obtuſa, longe petiolata perque petiolum decurrentia. Caulina inferiora ſunt ſpathulata, obtuſa & ſeſſilia. Reliqua ſuperiora oblonga & ſeſſilia. Summa acuta. Caulis, folia utrinque, pedunculi & calyces ſatis grande villoſa ſunt, parum tamen incana. Culto mutavit admodum foliorum figuram, uti ex delineata icone non colorata videre eſt. Floret eodem tempore.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA.

CINERARIA INTEGRIFOLIA pratenſis. *Linn. ſpec. pl. pag.* 1243.
Senecio foliis imis petiolatis, cordatis, obiter dentatis; caulinis ligulatis, ſeſſilibus. *Hall. hiſt. helv. num.* 68.
Solidago foliis lanceolatis ſeſſilibus integris denticulatis; floribus umbellatis, involucro ſetaceo. *Gmel. ſib.* 2. *pag.* 154. *t.* 71.
Jacobæa pannonica ſecunda. *Cluſ. hiſt.* XXII.
Jacobæa montana lanuginoſa anguſtifolia, non laciniata. *Bauh. pin.* 131. *Moriſ. hiſt.* 3. *p.* 111. *ſ.* 7. *t.* 12. *f.* 28.
Jacobæa montana polyanthos, flore aureo, foliis longis & integris. *Barr. ic.* 266?

Varietatem eſſe prioris, ſemper exiſtimavi, diverſam, quod in pratis demiſſis uliginoſis creſceret, nec ſubalpinis; Majo jam florens. Differt ſtatura minore, foliis magis integris, ſæpe vix denticulatis, magis etiam, uti tota planta, lanuginoſo-tomentoſis ac incanis; floribus quoque minoribus. Cultura habitum non quidem mutavit, ſed depoſuit ferme ex integro lanuginem, & folia evaſerunt majora manifeſtiusque denticulata. Si unice a demiſſiori loco diſcrimen pendeat Cinerariam inter hanc & præcedentem, quæ alpina, translata ſæpius in hortum, non tranſivit in hanc præcedentem, ſed potius habitum aſſumpſit magis alienum?

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA PRIMA.

CINERARIA LONGIFOLIA.
Jacobæa montana, Betonicæ folio. *Bocc. muf. 2. p. 61. t. 49?*

Longifoliam voco hanc a foliis omnibus oblongis, radicalibus in petiolum attenuatis, levissime denticulatis. Lanugine & reliquis convenit cum Cineraria integrifolia alpina, cujus varietas dici potest, etiam subalpina planta, quæ in hortum allata perit. Sæc nugis diversas hasce plantas studio collegi ex numerosis omnino speciminibus, & proposui omnes, ut Botanici judicium ferre valeant.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA SECUNDA.

ARENARIA FASCICULATA. *Linn. syst. pag. 733. Gouan. Ill. pag. 30.*
Stelleria rubra. *Scop. carn. 1. pag. 316. t. 17.*

Planta sylvestris, ferotis innafcens, plerumque simplicior, a tribus ad sex uncias alta, & tota stricta rigida erectaque. radici innititur annuæ albidæ & tenui. Culta flexilior molliorque evadit sæpe ramosissima & pedalis. Illa integra in tabula proponitur; hujus demonstrat ramulus. Caulis teres & glaber viret aut purpurascit. Rami ad lentem levissime pubescunt, alternantes, apice subdichotomi. Folia sunt subulata, acuminata, opposita, glabra, erecta. basi connata & pallentia, in ramulorum juniorum extremitatibus veluti fasciculata; emarcida feracea. Pedunculi graciles & uniflori locantur in d[illegible]ibus ramorum, quæ quo sunt breviores magisque sibi vicinæ, eo flores videntur magis aggregati. Calycis foliola subulata, acuminatissima, in medio virentia, ad oras [illegible], stricta, rigida, subæqualia. ad lentem sunt dorso asfpera pilis albis & rigida, [illegible] glabra. Petala alba, oblongiuscula, & perianthio triplo breviora patent. Filamenta constanter adfuna decem, albida, longitudine corollæ, subæqualia, quinque exteriora paulo, alia interiora erecta. Antheræ dulcere & subrotundæ flavescunt. Styli tres, albidi, reflexo-paruli & longitudine corollæ gerunt stigmata obtusa. Germen est ovatum & triangulare. Capsula ex ovato oblonga, uniloculata, glabra, magnitudine & ferme longitudine calycis, cui connivente arcte includitur, unilocularis, & ad basin usque trivalvis. continet femina plus minus octo, ovata, muricata, rufescentia, fusca vel flavescentia. Receptaculum ex centro capsulæ exfurgit, partitum in totidem filamenta, quot femina sunt, dum singulis affiguntur singula. Capsula matura pallens & dehiscens femina dimittit, & difficulter tunc examinari atque describi potest, cujus valvulæ tunc cum calycinis confunduntur foliolis. Maturitati proximam exemplumque, dum fibi relinquatur, facile structuram suam indicat. Floret æstate. Ad tabulæ marginem fistuntur etiam flos auctus integer, & receptaculum cum feminibus duobus adhærentibus etiam auctum. Dein gemina in magnitudine capsula integra eademque aperta. Non potui ullo modo Alsinen Halleri num. [illegible] ab ipso auctore aliisque Helveticis missam ab hac nostra distinguere. Omnia sunt plane eadem, ipsa etiam femina. Filamenta autem in speciminibus siccis numerare nequivi. Colui plantam foliis ad lentem pilosis observo. Sponte se in horto & copiose propagat.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA TERTIA.

DAPHNE LAUREOLA. *Linn. syst. pag. 272.*
Daphnoides verum, vel Laureola circa Lemanum lacum. *Gesn. apud Schmid. fasc. [illegible] 9. tab. 6.*

[illegible]

Thymelæa Laureola. *Scop. carn. 1. pag. 276.*

Thymelæa foliis ellipticis, perennantibus, floribus ex alis nutantibus. *Hall. hist. helv. num. 1025.*

Laureola. *Dod. pempt. 3. l. 2. c. 9. Blackw. tab. 62.*

Laureola semper virens, flore viridi, quibusdam Laureola mas. *Bauh. pin. 462.*

Laureola semper virens, flore luteolo. *Bauh. hist. 1. part. 1. pag. 564.*

Tota planta glabra est. Radix longissima, ramosa, digitum crassa, teres, foris pallide flavescens & intus albissima, in caudicem adscendit unum alterumve, teretem, longissimum vel pergrandem ramosum, pallide & ex cinereo fuscum, notatum cicatricibus a foliis delapsis, in extremitate sua novella virentem. Materies est alba & lentissima, ut vix rumpi queat: corticem induta duplicem, exteriorem tenuem ac membranaceum, interiorem crassum viridem & ad singulas foliorum cicatrices veluti perforatum. Folia sunt elliptica, obtusa vel acuta, integerrima, basi in brevissimum petiolum attenuata, levia, crassula, alternantia, perennantia, facie saturate & ex atro virentia, dorso laetius, a duobus ad quatuor pollices longa, patentia, ad summitatem caulis ramorumque, si qui adsint, densa & frondosa sedent. Pedunculi communes egrediuntur ex alis foliorum superiorum solitarii, teretes, laeves, incurvati, ut flores propendeant cernui, muniti bracteis circiter quatuor concavis obtusis virentibus. Flores brevissime pedunculati ipsi subumbellatim eidem extremitati pedunculi communis, numero varii, fere octoni, suaveolentes. Petali crassiusculi & cum [illegible] virentis laciniae sunt duae oppositae saepius paulo reliquis angustiores. Antherae luteae, oblongae, utrinque obtusae, biloculares. Stylus brevissimus albet. Stigma capitatum, supra planum, subtus convexum & muricatum, nec apice plumosum, uti illustris Hallerus de sua planta. Bacca ovata vel ovalis, atra, obtusissima, circa apicem, nec tamen in medio apice, notatur puncto umbilicato & depresso. In nullis nostratibus speciminibus videre mihi contigit punctum album in vertice baccae anuli in modum elevatum Schmiedelii: nec magis figuram baccae acuminatam Halleri: ut in diversis regionibus aut variare debeat, aut non sit eadem planta. Pulpa valde liquida & dilute purpurascens, quae omnis evanescere tandem solet, ut supermaneat sola collapsa corrugataque fructum adhaerens pellicula, involvit semen unicum, ovatum, nitidum, cum vitore nigricantem, nucleo lacteo farctum, cortice duriusculo. Floret Aprili. Fructus maturescunt aestate. Crescit in silvis montosis umbrosis. Tota acris est. Praeter plantam florentem, caulemque fructescentem depinguntur quoque racemulus floriger & semen.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA QUARTA.

SENECIO NEMORENSIS. *Linn. syst. p. 552. Jacq. obs. part. 3. p. 13. t. 65. & 66.*

Senecio foliis ovato-lanceolatis, serratis, subtus hirsutis, floribus umbellatis. *Hall. hist. helv. num. 64. & herb. §. 23.*

Jacobaea nemorensis, latiore rigidiore & hirsuto folio. *Rupp. jen. 142.*

Virga aurea sive Solidago saracenica latifolia serrata. *Bauh. hist. 2. pag. 1063.*

Ex eadem radice perenni, fibris longis aucta, saepe premorsa, nec vere repente, rarissime pauci, plerumque unicus caulis assurgit, sesquipedalis vel tripedalis, erectus, teres, striatus, superne saepe leviter angulatus, totus pallide virens, vel hic illic simul varie purpurascens, glaber utcunque aut hirsutus vel villosus, digitum minimum vel calamum crassus. Hunc totum ad pedunculos usque folia obsident inordinate alternantia, superiora gradatim ubique minora, ut flores altitudine non excedant, summa hinc minima. Foliorum latitudo admodum varia est, ut vel ad ovatam figuram accedant, aut sint lanceolata, aut oblonga. Caeterum acuminata vel acuta, sessilia, serrata, [illegible] pro planta Ba-

lis

turæ sex vel tres uncias longa, superne glabra. Subtus in aliis plantis villosa, in aliis glaberrima, ut ex villositate species hæc judicari nequeat. Et ipsa hirsuties in aliis in lividis notabilis est, minor in aliis. Denticuli quidem in nullis foliis valde æquales conspiciuntur; desideratur tamen in ferme omnibus serratura, in paucissimis evidentissima. Serraturas vidi etiam lanceolatas & angustas, uni in folio marginali. Rami pauci vel plures ex foliorum superiorum alis ad angulum acutum eriguntur, & flores cunctos in corymbum colligunt inæqualem, ultra folia haud valde eminentem. Pedunculi sunt ramosi & squamosi. Flores grata fragrantia pollent, quam etiam exsiccati servant diu, sæpe citius perceptibili. Calycis squamæ basi laxe augentur aliis linearibus ad plurimum quinis. Radius ex corollulis femineis ligulatis, patentissimis, flavis, oblongis, quinis, rarissime quaternis vel senis componitur. Discum constituunt hermaphroditi tubulosi duodeni vel plures. Semina oblonga, nuda, striata, pappo coronantur simplici. Crescit ad silvarum margines. Flores Julio & Augusto. Culta planta quandoque evadit vel ab ipsa basi ramosa, cæterum constans.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA QUINTA.

SENECIO DORIA. *Linn. syst. pag.* 552. *Gouan. hort. monsp.* 440.
Virga aurea major, vel Doria. *Bauh. pin.* 268.
Herba Doria Narbonensis. *Lob. ic.* 297.
Jacobæa pratensis altissima limonii folio. *Tourn. inst.* 485.
Alisma monspeliensium, seu Doria. *Bauh. hist.* 2. *pag.* 1064.
Doria orientalis, limonii folio. *Buxb. cith. pag.* 125. *t.* 105. *f.* 125? *Gmel. sib.* 2. *p.* 161?

Semper hanc plantam glaberrimam inveni totam, nullibi vel minime villosam. In apricis siccis ad duorum triumve pedum altitudinem assurgit; in pratis vero ad rivulorum margines humanam fere altitudinem æquat. Delineatæ citatæ plantæ tunc similis. Priorem depictam hæc tabula exhibet; alterius folium radicale sistit in Observationum mearum Botanicarum parte tertia figura a tabulæ sexagesimæ sextæ, quam quidem perperam ibidem seu varietatem Senecionis nemorensis proposueram. Radix perennis, digitum fere crassa, brevis, fibris aucta, fuscescens, amaricans, subhorizontalis, longis albidisque teretibus fibrillis innititur. Caulis striatus & pallide virens erigitur, a duobus ad quinque pedes altus, simplex, superne in corymbum terminatus fastigiatum, foliis superioribus multo altiorem valdeque ramosum. Folia radicalia spithama longiora, basi attenuantur in petiolum, suntque in florente planta plerumque cum caulinis infimis jam deperdita. Caulina sunt sessilia, modo erecta magis caulemque occultantia, uti in icone, modo magis patula & ab invicem distantia. Sunt vero omnia oblonga, acutiuscula, aut integerrima aut leviter serrata vel denticulata, idque vel rarius vel presse, utrinque ex glauco virentia, sæpe subundulata, superiora successive per totum caulem breviora, crassa & ad tactum pinguia, solo quo ultimo indicio planta etiam non florens illico ab affinibus distinguitur. Pedunculi subsquamosi ex flavo virent. Flores inodori eriguntur. Calycis foliola crassa cum virore flavescunt, apicibus donata nigris. Flosculi ligulati plerumque quini, nunquam a me visi plures, rarius quatuor, patentissimi, tandem reflexi, saturate flavi. Flosculi in disco sunt lutei. Flores Julio & Augusto. Etiamsi nec hic Senecio, nec præcedens nemorensis tam late, quam repere Senecio solet sarracenicus, repant, non tamen possunt hæ plantæ ex hac consideratione distingui, quum in priorum radicibus etiam nonnunquam observaverim propaginis tantillam similitudinem. Ad marginem foliorum radicale plantæ ejusdem sylvestris adhibet; quæ in culta omnia sunt multoties majora.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA SEXTA.

SENECIO SARRACENICUS. *Linn. syst. pag. 552. Gouan. hort. monsp. 441. Scop. carn. 2. pag. 165.*
Senecio foliis lanceolatis, serratis, glabris; floribus umbellatis. *Hall. hist. helv. num. 65.*
Solidago farracenica. *Fuchs. hist. 728. Lob. ic. 299.*
Virga aurea angustifolia ferrata. *Bauh. pin. 268.*
Virga aurea angustifolia ferrata, sive Solidago farracenica. *Bauh. hist. 2. pag. 1063.*
Jacobaea alpina foliis longioribus ferratis. *Tourn. inst. 485.*

Radix fesquipollicem longa, craffitie circiter caulis, fuscefcens, & saporis amarefcentis, fibras pallidas numerofas longasque generat; tum utramve alteramve fibram brevem multoque craffiorem, quae horizontaliter pergit, atque hinc recta adfcendit, novum caulem perductura; ut hac ratione radix repat, ac paucos intra annos, culta imprimis, caulium fylvulam producat. Hi itaque diametro erigentur, tripedales aut multo altiores, angulati, glabri, crebre foliis veftiti, fimpliciffimi & fuperne tantum in umbellam ramofi, digiti craffi vel graciliores. Folia inordinate alternantur, oblonga, angufta, acuta, minutim ac frequenter ferrata, nulla integerrima, ima in petiolum attenuata, reliqua feffilia, utrinque glabra, fepius tamen & plurimum utrinque parum villofa. Corymbus florum foliis fuperioribus vix altior eft, ramis plerumque fubvillofis. Calyx viret cum apicibus nigricantibus, aut glaber, aut leviter villofus. Corollae quandoque fubtexentis tubulofis radiantes funt octo, feptem vel fex, flavi. In difco lutei. Semina oblonga, fufca, ftriata, pappo coronata fimplici. Crefcit copiofius in fubalpinis & montofis; tum etiam in locis demiffis. Floret Augufto. In tabula exhibetur caulis vetufti & emarcidi pars; tum pars infima abfciffa caulis pariter depicta.

Unde dixi, tres hasce plantas uno ordine pertinere. Sunt fane inter fe diftinctiffimae; fed nemo facile determinabit fingularefque ex datis autorum definitionibus, faepe nec defcriptionibus. Tum nec in omni regione omnes fimul crefcunt. Sic ipfe diu in errore verfabar; in quo verfatos hoc usque etiam alios obfervo ex fpeciminibus communicatis. Folia cordis forme glauca & ad radicem pinguia in laeve vel tota Senecionem Doriam. Folia angufta confecta & duras radices odorat Senecionem farracenicum. Senecio nemorenfis ex caulis radicibus quidem odoratis, & ex foliis nec pinguibus nec craffis facile definitur. Alia etiam momenta dari, addi poffent.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA SEPTIMA.

HYACINTHUS RACEMOSUS. *Linn. syst. pag. 247. Dod. pempt. 2. l. 2. c. 18.*
Hyacinthus foliis carinatis, fpica ovata, floribus globofis. *Hall. hist. helv. num. 1245.*
Hyacinthus botryoides primus. *Clus. hist. 181.*
Hyacinthus racemofus caeruleus minor juncifolius. *Bauh. pin. 43.*

Bulbus ovatus folidusque compactus fit ex fquamis carnofis, albis, faccum glutinofum fundentibus, infipidis; externis membranaceis & faepe laceris. Ex bafi fibrillas pallentes more folito emittit; fupra has bulbulorum fobolem numerofam in circuitu generans. Folia plura, linearia, acuta, debilia, viridia, femipedem vel duplo longiora, extus ftriata, ad terram faepe procumbentia, vel utrinque reflexa & recurvata, rarius erecta, & canaliculata in dimidium cylindrum. Scapus teres alterve, teres, erectus, foliis plerumque brevior, apice floribus vix pendulis terminatur racemo erecto denfo circiter unciali. Flores ... caeruli ex caeruleo nigrefcentes, pedunculos habent concolores graciles, ... minutiffimis. Corolla ventricofo-ob-
lon-

longa, aut globosa, basi gaudet exiguo fundamento patentissimo albaque. Hi sunt fecundi. Summi autem flores caerulescunt, steriliores, magis difformes, vix aperti, etiam saepe clausi, masculi & steriles propter pistilli defectum. Antherae ex atro caerulescunt. Pollen ex viridi flavet. Germen teres, nullis certe pertusum vel ad lentem poris. Stylus pallet. Floribus odor lenis & gratus. Fructus congenerum. Crescit passim in cultis, arvis, herbidis. Floret Aprili.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA OCTAVA.

LYCOPSIS PULLA. *Linn. syst. pag.* 148.
Echium pullo flore. *Clus. hist. CLXIV.*
Echium sylvestre lanuginosum. *Bauh. pin.* 254.
Buglossum alterum flore nigro. *Matth. comm. pag.* 118.
Buglossum sylvestre majus nigrum. *Bauh. pin.* 256.

Caulis, foliorum utraque pagina, rami, pedunculi, calycesque pilis albidis & mollibus hirsuta sunt. Radix perennis, calamum vel etiam digitum crassa, longa, nigrescens, fibris aucta vel in crura divisa, quandoque multiceps; quam nunquam vidi repentem. Caulis semipedalis vel sesquipedalis erigitur, solitarius vel plures, subteres, inferne simplicissimus, superne divisus in ramos floriferos, paulatim cum fructu productos, dum novi flores explicantur. Ex foliis superioribus quandoque similes rami ad alas exeunt. Folia sunt lanceolata, acuta, sessilia, integerrima, mollia, crassula, alterna, pallide virentia. Flores solitarii & breviter pedunculati modo foliis opponuntur, modo axillares iisdem insident, vel raro quoque inter folia exoriuntur proxima. Calycis tubulosi & semiquinquefidi limbus erigitur. Petali glabri, parum incurvi & calyce ad unam quartam partem longioris tubus basi rubet; superne fuscus, quinquangularis, & ad limbi originem quinque puncta [illegible] gerens. Limbus utrinque coloris ex purpureo atri, campanulatus, & longitudine tubi, ore in quinque lacinias subrotundas breves obtusissimasque dividitur. Stamina in medio latentur tubo. Faux, quae limbi basis, clauditur quinque squamis purpureis [illegible]. Germen nitet. Semina, quae sunt subrotunda, subrugosa, parum obliqua, & ad externum latus margine cincta, sunt omnia, sed plerumque duo vel unicum ad maturitatem perveniunt, haerentque in calyce pendulo & connivente. Floret ab initio Maji ad Julium. Crescit in agris, & ad vias.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA NONA.

HIERACIUM PUMILUM. *Linn. mant.* 2. *pag.* 279.
Hieracium foliis ovato-lanceolatis, dentatis, petiolatis; petiolis dentatis. *Hall. hist. helv. num.* 42.

Radix perennis, fusca, brevis, multiceps, & semipedalibus crassisque fibris capillata, caules plerumque plures producit erectos vel adscendentes, ab unica ad sex uncias altos, teretes, pilosos, rubros vel virides, florem solitarium vel ramose geminos sustinentes. Folia sunt ovato-lanceolata, utrinque hirsuta, acuminata vel obtusiuscula, denticulata aut argute incisa, ad margines undulata, sordide virentia; radicalia innixa petiolo plus minus pollicari hirsuto rubroque; caulina pauca, saepius duo, basi attenuata & sessilia. Pedunculi erecti & hirsuti una alterave squamula vestiuntur. Calyx imbricatus, pilis atris sericeis, pilisque simul longioribus albidis hirsutus est. Corolla pallide lutea. Semina nigra striataque pappum gerunt albidum, ad lentem denticulatum, nec longum. Crescit

in alpium saxosis. Floret Junio. Julio semina perficit. Culta planta habitum haud mutat, æque pumila manet, sed flores sæpe ampliores producit pluresque.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA.

HIERACIUM MONTANUM.

Hieracium caule unifloro; foliis caulinis ovato-lanceolatis, dentatis, amplexicaulibus. *Hall. hist. helv. num. 38.*

Hieracium alpinum glabrum; flore singulari, cauli magno cubitali folioso insidente. *Raj. syn. extr. p. 144.*

Hieracium latifolium montanum pratense glabrum endiviæ folio, *Bocc. mus. pag. 148. tab. 113.*

Hypochæris pontana. *Linn. syst. pag. 526.*

Radix perennis, longa, digitum crassa, teres, foris nigricans, intus albicans, lactescens, foliorumque reliquiis præteritorum coronata, caulem simplex unicum, aut multiceps paucos producit erectos, simplicissimos, flore solitario terminatos, raro duobus ex ramo supervenienti pendulos, striatos, villosos, inferne imprimis foliosos, pedales aut cubitales, versus florem incrassatos & fistulosos. Folia sunt dentata, ad oras & ad nervos dorsales villo inspersa, facie glabra; radicalia ex oblongo versus basin attenuata, etiam subpetiolata, semipedalia; caulina lanceolata, acuta, sessilia aut amplexicaulia. Calyx magnus, ex atro virens ac valde hirsutus constat squamis ex oblongo acuminatis & crassis. Corollulæ flavæ ad apicem sæpe conniventes. Antheræ sunt luteæ. Semina oblonga pappum gerunt sessilem longum & ad lentem denticulatum. Receptaculum est planum, punctatum, nec ullas paleas habet. Crescit in alpinum Austriæ non tantum, sed & Styriæ, Tyrolis, Hungariæque jugis herbidis, florens Junio & Julio. Ex Austriæ alpibus primus mihi attulit eruditus Sigisbertus Schwereck, medicinæ studiosus, rei herbariæ peritissimus, plantarumque indagator strenuus & indefessus, cujus etiam laboribus literariis in perficiendo hoc opere sublevor non mediocriter, ut publicas meas illi debeam grates.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA PRIMA.

HIERACIUM ALPESTRE.

Hieracium alpinum. *Jacq. vindob. pag. 141.*

Quamvis Hieracium hocce cum Hieracio alpino, planta variabili, cum quoad determinationem, tum ratione loci natalis, conveniat, quare olim pro illo, mihi tunc nondum cognito, sat vile, habuerim, diversa tamen ita, ut conjungi nequeat. Prata subalpina sylvatica copiosissime incolit, florens Junio, semina perficiens Julio. In horto cultum floruit Majo. Utrobique habitus sui tenax. Radix perennis, sæpe præmorsa, alias in filiformem attenuata, fibris etiam aucta, fusca, rarius multiceps, caput gerit a præteritis foliis squamosum. Folia radicalia plura, oblonga, virentia, obtusa vel acutiuscula, illaque etiam non raro cum exiguo mucrone, magis minusve profunde dentata, sæpe ut evadant inferne pinnatifida, versus basin attenuata, duas treve uncias longa, tota glabra vel utrinque & ad oras brevissime villosa; nec pilis longis obsita, uti in Hieracio alpino. Caulis passim unicus, raro plures, cum tamen caput sæpe numerosa in multicipite planta, teres, erectus, striatus, superne subvillosus, debilis alternatim aut unico folio sessili radicalibus simili ornatus, plerumque simplici sinus & flore solitario terminatus, interdum ex axilla ramo unifloro auctus, a quinque ad decem uncias longus. Quandoque caulinorum foliorum

liorum vices supplentur a stipulis. Calyx pilis nigricantibus est hirtus. Corolla lutea. Semina longa gerunt pappum pilosum sessilem & simplicem. Tabula sistit plantam vulgatiorem, eandemque minus obviam bisloram foliisque pinnatifidis donatam.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA SECUNDA.

DRABA AIZOIDES. *Linn. syst. pag.* 432.
Draba alpina. *Jacq. vindob. pag.* 254. *Scop. carn.* 2. *pag.* 5. *Crantz. fasc. pag.* 13.
Draba caulibus nudis; foliis linearibus ciliatis. *Hall. hist. helv. num.* 498.
Sedum minus duodecimum, alpinum sextum. *Clus. hist. LXII.*
Sedum petraeum montanum. *Lob. ic.* 381.
Sedum alpinum hirsutum luteum. *Bauh. pin.* 284.
Leucojum luteum aizoides montanum. *Col. ecphr.* 2. *pag.* 61.
Alyssum alpinum hirsutum. *Scheuchz. it. pag.* 509. *fig.* 8. *Mill. ic.* 20. *f.* 1.

Elegans plantula ex radice perenni, tenui, longa, fuscescente, ramosa, terete, & multicipite, rosulas emittit foliosas, saepe ampliorem componentes cespitem. Fiunt hae ex foliis numerosis, sublinearibus, acuminatis, crassiulis, virentibus, per pilos albos longosque ad oras ciliatis, nitidis, planis, a tribus ad octo lineas longis, post marcescentiam diu persistentibus. Ex rosularum centro scapus erigitur teres, aphyllus, glaber, ab una ad quatuor uncias altus, in summitate flores aliquot racemose gerens, ratione plantulae satis magnos. Calycis foliola concava, obtusa, sublinearia, & patentia ex luteo virent. Petala oblonga, lutea aut flava, ungue brevissimo donata, plana, obsolete emarginata vel obtusissima, & patentissima calycem fere bis superant. Stamina corollae colorem sequuntur. Stylus staminum longitudine coronatur stigmate simplici capitato. Silicula lanceolata, acuta, primo virescens, postea flavescens, compressa, stylo acuminata, modo glaberrima, modo minutis pilis albidis hispida, utrinque semina includit subovata a quinque ad octo, compressa, flava, Julio & Augusto matura. Crescit in altioribus alpium jugis petrosis. Floret pro varia loci altitudine ab Aprili ad Junium. Semina ex eodem etiam ratione valde diversa.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA TERTIA.

ORCHIS ABORTIVA. *Linn. syst. pag.* 591. *Jacq. vindob. pag.* 163.
Orchis abortiva violacea. *Bauh. pin.* 86.
Epipactis aphylla, calcare longo, labello ovato lanceolato. *Hall. hist. helv. num.* 1288. *tab.* 36.
Pseudolimodorum. *Clus. hist.* 270. cum icone aliena.
Limodorum austriacum. *Tourn. inst.* 437.

Rara apud nos, tota glabra & elegans planta; cujus radix componitur ex numerosis fibris, calamum crassis, duas circiter uncias longis, fasciculatis, subhorizontaliter quaquaversum porrectis, contusis, ex luteo sordentibus, senioribus fuscescentibus, saporis ingrati. Scapus teres, firmus, solidus, erectus, sesquipedalis vel altior, ex violaceo obsolete virens, vestitur ad singulos nodos bracteis vaginantibus longis striatis convolutoribus & arcte amplexantibus. Ceterum foliis tota planta caret. Spica ipsa, in quam totum scapus abit, a quinque ad decem uncias longa est, ac paulatim producitur, flores continens ex octo ad sedecim, inodoros, erectos & appressos ad scapum. Spathae, germen pedunculumque amplexantes, quibus paulo longiores, acuminatae & erectae pallide virent. Pedun-

dunculi crassi longitudinem germinis habent, & velut germen, hinc teretes, illinc ad scapum compriminuntur. Petala quinque, acuta, subrecta omnia, pallide violacea cum lineis saturatioribus: tria exteriora concava & latiora sunt, ut ex his summum sit etiam lateralibus latius; duo interiora ferme linearia angustiora & plana. Nectarii cornu subulatum & succo melleo plenum ultra germen recta descendit. Ejusdem labium inferius, situ & longitudine fere petalorum, inter quae reliquum locum inferiorem medium occupat, ex ungue angustiori & semicylindrico in laminam geniculate dilatatum ovatam, obtusam, integram, ex albo violaceoque saturate variegatam, ad oras saepe parum undulatam. Columna media, sive nectarii labium superius cum stylo concreto constitutum, est petalis paulo brevior, triangularis, ad dorsum superne acuta, crassa, ex violaceo pallens, ad apicem trifida; lacinia media cucullata, altiore & biloculari; lateralibus semiovatis, planis, erectis; quas inter stigma hiat angulum virescens & flavescens. Antherae flavent. Crescit in sylvis montanis, floret mense Junio. Decerpta planta inter paucas horas violaceum colorem exuit, mutatque in ligneum fuscescentem. Ad magnitudinem adstant germen cum petalis, nectarii cornu cum labello, nectariique columna sive labium dictum superius cum stylo & staminibus.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA QUARTA.

SISYMBRIUM STRICTISSIMUM. *Linn. syst. pag.* 441. *Crantz. fasc.* 54.

Eruca caule paniculato, foliis nervosis, ovato-lanceolatis, integerrimis. *Hall. hist. helv. num.* 458.

Hesperis lutea, siliquis strictissimis. *Tourn. inst.* 222.

Draba lutea, siliquis strictissimis. *Bauh. pin.* 110.

Draba lutea quibusdam. *Bauh. hist.* 2. *pag.* 870.

Arabis a quibusdam dicta planta. *Camer. epit.* 342.

Non separo Hallerianam plantam foliis integerrimis, quum hujus specimina sicca viderim foliis etiam inferioribus dentatis, ut forte sint in helvetica stirpe semper tota folia dentata, quum in Austriaca sint eadem integerrima. Radix perennis & lignosa caulem unum alterumve (in culta planta numerosos) producit, teretem, a duobus ad quinque pedes altum, calami crassitie, rectum, totum foliosum, glabrum aut subvillosum, medulla albo farctum, summum superne ex axillis ramosum ac veluti paniculatum. Folia sunt breviter petiolata omnia, alterna, utrinque brevibus villis hirsuta, ex oblongo lanceolata, acuta, dentato-serrata, facie nervosa, dorso pallidiora, dense posita, sparsim integra. Rami breviores sunt axillis, longiores in individuis vetustioribus; omnes terminati in racemos inaequales corymbosos. Flores subodorati. Calycis foliola cum suffusio aliquo virore flavent, oblonga, concava, obtusa, patentia. Petala oblonga, obtusissima, plana, patula, tandem reflexa, calycem bis superant. Filamenta pallent cum antheris luteis. Siliqua gracilis, circiter sesquipollicaris, glabra, fusca, obtusa, linearis, compressa cum lateribus subangulatis, hinc obsolete tetragona, continens semina plura oblonga & flavescentia. Crescit ad margines silvarum, ad sepes, locis udis. Floret Majo & Junio. Siliquae maturescunt Julio. Additur etiam in tabula folium infimum, magis dentatum. Tum racemus fructifer.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA QUINTA.

ASTRAGALUS AUSTRIACUS. *Linn. syst. pag.* 499. *Jacq. vind. pag.* 263. *Crantz. fasc. pag.* 416.

One-

Onobrychis secunda. *Clus. hist. CCXXXIX.*
Onobrychis floribus Viciæ dilute cæruleis. *Bauh. pin.* 351.

Radix perennis, lignosa, calamum atque etiam interdum digitum crassa, superne in cauliculos breves lignosos & perennantes multiceps, foris fusca, intus pallens, sapore glutinoso amaricante & ingratissimo, tandem exsiccante, quo tamen caeteras partes herbaceæ, dum laxæ simul dulcedo aliqua adjungitur. Hinc promuntur cauliculi herbacei plures, humi in orbem fusi, spithamæi vel pedales, nonnunquam etiam longiores, foliosi, non ramosi, tenues, inferne teretes, caeterum substriati & subangulosi. Stipulæ semiovatæ & acutæ, vel subacuminatiores, glabræ, integerrimæ. Folia pinnata, numerosa, plus minus pollicaria; foliolis utrinque ut plurimum septem vel octo cum terminatrice impari, oppositis, brevissime petiolatis, sublinearibus, emarginatis. Hæc tamen sunt in foliis infimis latiora, subovata, etiam obverse cordata. Pedunculi striati, foliis longiores, axillares, superne racemosi. Flores insulari, parvi. Calycis virentis, pilisque appressis nigricantibus hirsutuli, tubulosi & compressi, denticuli sunt ferme æquales, superioribus binis ab invicem multo magis distantibus. Vexillum pallide cæruleum, ex figura obverse cordata in unguem subvirentem desinit, ex quo ad angulum rectum reflectitur. Alæ vexillo concolores patent, planæ, apice bifida obtusæque. Carina alis multo brevior, integra, rotundata, compressa, erecta, pallida, ad apicem macula fuscescente notatur. Legumen teres, oblongum, subhirsutum, acutum, subpendulum, sulco longitudinali exaratum in interiore producto, hinc subbiloculare, & semina includit reniformia, compressa, atra, nitida. Tota planta, calyce ac legumine exceptis, glaberrimula est, ut sæpe vel lentis ope pilus detegi nequeat. Crescit in pratensibus & in collibus gramineis. Floret Majo & Junio. Mediocris staturæ plantam tabula exprimit; tum racemum fructiferum; semen; vexillum, alam & carinam.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA SEXTA.

LYCOPODIUM HELVETICUM. *Linn. syst. pag.* 698. *Scop. carn. 2. pag.* 304.
Lycopodium caule plano, foliis superne quaternis, inferne binis, spicis obscure petiolatis. *Hall. hist. helv. num.* 1718. 5.
Lycopodioides denticulatum pulchrum repens, spicis pediculis insidentibus. *Dill. musc. pag.* 465. *t.* 64. *f.* 3. *Allion. flor. 2. pag.* 291.
Muscus repens, foliis alternis subrotundis per siccitatem falcatis. *Moris hyl.* 3. *pag.* 626. *s.* 15. *t.* 6. *f.* 34.
Muscus pulcher parvus repens. *Bauh. hist.* 3. *pag.* 765.
Muscus terrestris denticulatus. *Lob. ic. alt.* 245.
Muscus denticulatus major. *Bauh. pin.* 360.

Muscus elegans, in suprema tellure super aliis muscis graminibusque serpit, radiculas capillares & fibrosas undique ex caule ramisque generans, quarum ope subjectorum vegetabilium radicibus ita adhæret, ut absque dilaceratione ægre avellatur; unde vera origo sive truncus primarius detegi nequit, quin totidem videantur esse plantulæ, quot carpta frusta. Cauliculi ramosi, levissime compressi, glabri, reptant cum summitatibus parumper adscendentibus. Folia sunt ovata, obtusiuscula aut acuta, sessilia, glabra, plana, integerrima, disticha & opposita; foliolo alternatim altero ad angulum rectum patentissimo; altero, huic opposito, duplo triplove minori, erecto & ad caulem adpresso; uti docet ex figura prima, ad lentem aucta. Hinc fit, ut conspecti cauliculi in aversa parte, qua terram spectant, videantur velut foliis nudari, in prona autem parte, qua exstant, gaudere foliis imbricatis & alternis. Quidam ramuli producuntur in spicas cylindricas, unam aut duas circiter uncias longas, simplices vel bifidas, rectissime trifidas, erectas.

totos obsitas foliolis sive bracteis lanceolatis, acuminatis, sparsis, patulis, sessilibus, in spica juniore imbricatis, demum remotioribus, integerrimis. Axillis singulis harum bractearum, si inferiores excipis, insident corpuscula solitaria duplicis generis (fig. 2.). Alia enim subrotundata, utrinque obtusa, sessilia, nitida, & superne subtriquetra (fig. 3.) locantur in parte spicae magis inferiore, ita tamen, ut situ indeterminato etiam corpuscula secundi generis aliqua intermiscantur. Germina credo, stylo carentia, ut femineus flos mero germine constet. Maturitatem adepta mense Julio in capsulas mutantur uniloculares, trivalves aut saepius lacerate dehiscentes (fig. 4.), quae sinu suo continent semina plerumque terna (fig. 5.), rarius quaterna, flava, exacte globosa, dura, verrucosa, superne notata lineis tribus elevatis ex ipso apice seu centro communi ortis, quibus videntur cum capsulae vertice [illegible] cohaesisse, quum nullum alibi cohaesionis vestigium gerant. Scalpello divisa inveni plane inania, & superne duntaxat parumper carnosa. Figura sexta demonstrat, quomodo, capsula ipsa fere oculum fugiente, semina [illegible] conspicienda in axilla bracteae se praebeant per lentem haud valde augentem, voluminis ratione habita ad figuram secundam. Nullum pollinis indicium in hisce seminibus observo vel minimum; quae per plures etiam dies in apertis jam capsulis persistunt. Corpuscula secundi generis (fig. 7.) partem spicae superiorem copiosius occupant. Mera antherae esse puto, quibus est filamentum brevissimum. Ipsae vero sunt reniformes, punctatae, nitidae, badiae, transversales sive sinu suo filamento insertae, bivalves (fig. 8.), uniloculares, & polline plenae arenaceo obtusoque triangulari (fig. 9.), quod totum fere quantum, dum dehiscunt, explodunt, tunc subpellucidae & flavescentes. Crescit in herbidis insularum Danubialium. Floret Majo & Junio.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA SEPTIMA.

ROSA COLLINA.

Cum Rosa canina, quacum crescere & florere solet, eundem habitum prae se fert, ut aegre dignoscatur a transeuntibus, quare etiam nostratibus Botanicis latuit, donec nuper ab egregio Sigisberto Schiverek observata mihi tradebatur. Caules teretes & glabri armantur aculeis recurvis, validis, pungentibus, nitidis & fuscescentibus; junioribus subrubentibus. Foliola sunt mediocria, quina, rarius septena, ovata vel magis subrotunda, acuta, argute serrata, brevissime petiolata, facie saturate atrovirentia & glabra, dorso ex viridi tabescentia, nervisque hic & venis, tum etiam ad oras villosa; dentium apicibus per lentem cartilagineis & rubentibus cum humiditate fusca. Costae aculeis, pilis brevibus albidisque, & glandulis rarioribus pedicellatis & obscure rubentibus donantur. Stipulae sunt acutae, ad oras villo albo, saepe etiam glandulis, ciliatae, caeterum glabrae. Ut itaque a Rosa canina foliorum constante hirsutie [illegible] delinguatur: quae [illegible] nostra hac etiam magis sunt crassa, minusque [illegible]. Pedunculi teretes glandulis [illegible] gius pedicellatis sunt hispidi. Germen ovatum modo glaberrimum est, modo similes [illegible] quor glandulae inferne gerit. Calycis foliola sunt interne & ad oras villosa, in dorso majore [illegible] & laciniarum marginibus foliaceis tantummodo glandulosa. Duo vel tria foliola [illegible] nato-laciniata, reliqua sunt integerrima. Petala obverse cordata, odorataque, colorem habent carneum vel pallidiorem. Antherae luteae, e [illegible] fuscescunt. Stigmata villosa. Fructus sub finem Septembris maturescit, ovatus, nitidissimus, glaber, ruber cum carne aurantiaca, a fructu Rosae caninae [illegible]. Hic ad latus [illegible]. Ad alterum vero addita pars folii minoris, lente aucti, ut glandulae & pili conspici queant. In quibusdam surculis novellis saepe etiam [illegible] hanc ipsam genuinam [illegible] glandulosam habere vidi, glandulis tamen pilisque non magis [illegible]. Crescit in collibus apricis.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA OCTAVA.

ROSA PUMILA. *Cluf. hift.* 117.
Rosa pumila pannonica, flore rubello. *Bauh. hift.* 2. *pag.* 35.
Rosa austriaca. *Crantz. fasc.* 86.
Rosa sylvestris pumila rubens. *Bauh. pin.* 483.

Non est Rosa Halleriana num. 1104, quantum ex ficco transmisso specimine concludi potest; nec magis pumila Scopoliana ex descriptione. Ex radice fusca longa atque in limo saepe oblique in terram descendente caulis assurgit teres, semipedalis vel sesquipedalis, simplex aut non valde ramosus, inferne inermis, superne aculeis subulatis plurimis rectis vel perparum recurvis. Dum caulis princeps destruitur, tunc rami ad basin exoriuntur, ut multicaulis videatur. Foliola sunt quina, rarius plura vel pauciora, subrotunda, nonnunquam obverse ovata, vel etiam magis subrotunda, obtusa vel acuta, venosa, plerumque (nec tamen semper) conniventia & reclinata, argute duplicato-serrata, facie virentia & glabra, dorso pallentia magis & villosa. Horum utrae, nervus medius, stipulae petiolares, tum etiam pedunculi, germina, calyces, nec non quandoque rami juniores, obsidentur glandulis minutis ferrugineis subrotundis, in foliis magis sessilibus, alias pedicellatis; quibus etiam aculei rari in petiolis immiscentur. Flores omnino pauci in singulis plantis, saepe unicus, quam maxime suaveolentes. Petala sunt integerrima vel obverse cordata vel varie emarginata, ad ungues semper alba, ceterum colore praedita rubro, qui in carneum frequenter quoque vergit, rarius autem saturatissimus in puniceum. Calycis foliola in acumen longum attenuantur, duo integerrima, duo utrinque per lacinias pinnata, quintum aut hisce simile etiam utrinque, aut ex altero dumtaxat pinnatum latere. Germina sunt ovata & hispida. Styli villis albidis hirti. Fructus rubri vel parum aurantiaci, nitidi, ex ovato subrotundi, modo aculeis mollibus instructi, modo nudi, carne crocea saporis grati. Flores Majo & Junio. Fructum fert Octobri. Crescit frequens in collibus herbidis apricioribus, imprimis ad sylvas & fruticeta.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA NONA.

BRYONIA DIOICA.
Bryonia alba. *Hall. helv. hist. num.* 574. *Dal. pomp.* 3. l. 3. v. 10. *Gouan. flor. monsp. pag.* 54. *Gerard. prov. pag.* 456. Non vero *Linnaei* aut *Scopoli* planta.
Bryonia aspera sive alba baccis rubris. *Bauh. pin.* 297. *Seg. ver.* 1. *pag.* 172. *Mill. ic.* 71.
Vitis alba. *Cam. epit.* 987.
Vitis alba, Bryonia. *Lob. ic.* 624. *Bauh. hist.* 2. *pag.* 143.

Distinxerunt antiqui Botanici Bryoniam in duas species, quarum altera baccas rubras ferret, altera nigras. Recentiores easquam meras varietates habuerunt. Sed nec folia baccarum color omne discrimen abstulit. Observaveram jam ante plurimos annos, Bryoniam in Austria crescentem, cui baccae rubrae sunt, perpetuo dioicam esse, memor simul, in Hollandia a me collectam, in qua baccas nigras videram, me certo invenisse monoicam. Colo nunc in horto Carniolicam, ab eruditissimo Hacquet, Chirurgiae & artis obstetriciae Professore Labacensi, transmissam; tum Batavam plantam, ex radice ab amplissimo Gronovio, ex seminibus a clarissimo Royeno acceptis, enatam; quarum ad latus crescit Bryonia nostras. Florent omnes, & fructum gerunt, individuae plantae. Carniolica & Batava baccas habent nigras, floresque monoicos. Baccarum viror in nigredinem tantum mutatur, sine ulla vel minimo ruboris intercedentis indicio. Flores in iisdem

foeminei & masculi, proprus distinctisque in racemis. Locantur in iisdem ramis, aut in diversis ramis ejusdem individuae plantae; vel etiam in uno eodemque racemo. Semina sunt fere duplo majora, nigricantia cum disco magis pallente, nec variegata. Porro foeminei pedunculos communes observo in cultis hisce plantis ut plurimum longiores, foliaque minus profunde divisa; sed haec bina momenta non adeo perpetua sunt. Caeterum non facile distinguuntur; quin ipsa radix eadem sit. Praedictas vero notas abunde sufficere arbitror, utpote vel in cultura constantes, quae statuunt species. Dioiciae nostrati radix est perennis, albida, succulenta nauseosa, farinoso - carnosa, grate ramosa & vasta, ut brachium superet. Caules herbacei, plures, annui, angulati, pilis scabri, ramosi, virides, debilissimi, cirrhis ad folia lateralibus glabrisque scandentes vicina ad hominem & ultra altitudinem. Folia utrinque aspera & hirta, cordata, quinquelobo - angulata, denticulata, acuta, petiolata, alterna: lobo anteriori majore. Pedunculi in planta mascula glabriusculi, longitudine plus minus foliorum, supra medium racemation colligunt flores circiter quatuordecim, sibi mutuo succedentes. Calyx viret. Corolla rugoso - venosa cum virore sordide flavet. Antherae sunt sulphureae. Pedunculi communes in planta feminea plerumque brevissimi, ad apicem subumbellatim sustinent flores paucos ab unico ad sex, longius pedicellatos. Baccae maturae sunt rubrae, seminaque continent circiter sena, glabra, ovata, compressiuscula, ex pallide fusco nigroque variegata, interdum magis nigra. Crescit ad sepes & fruticeta, florens totam aestatem, fructum gerens autumno.

TABULA DUCENTESIMA.

CAMPANULA SIBIRICA, *Linn. syst. pag. 161. Gmel. sib. 3. pag. 154. t. 21.*

Radix albida, perennis, ramosa, calami vel digiti crassitie, caulem protrudit unum alterumve, erectum, strictum aut subangulatum, parum hispidum, plus minus pedalem, supra medium ex ramulis brevibus axillaribus racem subpaniculatum. Folia sunt sessilia, crassa, utrinque villosa & scabra, sordide virentia; ... oras valde undulata sive crispa; radicalia plura, obtusa, ex obverse lanceolata figura paulatim & longe angustata versus basin; caulina alterna & linearia; summa acuta. Ramuli subdichotomi gerunt flores a tribus ad quinque inodoras, saepe nutantes, clausos profunde quinquesulcatos cum angulis hispidis. Calyx viret, hispide ciliatus & decemfidus: laciniis alternis minoribus, reflexis; alternis erectis. Petalum calyce triplo longius & ex purpureo caeruleum ad usum tertiam devidicur partem. Stylus est subvillosus. Capsula est trilocularis. Crescit passim ... collibus herbidis; floret Majo & Junio; Julio semina perficiens.

c

T. 104.

T. 105.

T. 107

T. 108.

T. 109.

T. 110.

T. 112.

T. 113.

T. 115.

T. 116.

T. 117.

T. 113.

T. 119.

T.120.

T. 121.

T. 122.

T. 124.

T. 125.

T. 127.

T. 128.

T. 150.

T. 131.

T. 132.

T. 133.

T. 135.

T. 136.

T. 237.

T. 139.

T. 139.

T. 140.

T. 145

Chaerophyllum hirsutum.

T. 151

T. 152

T. 157

T. 159.

T. 162.

T. 163.



T. 164.

T 105.

T. 166.

T. 167.

T. 168.

T. 169

T. 172.

T. 175

T. 177.

T. 179.

T. 182.

T. 183.

T. 188.

T. 188.

T. 189.

T. 191.

T. 192.

T. 193.

T. 194.

T. 195.

T. 196.

T. 197.

T. 198.